DE

PROBIS GRAMMATICIS

SCRIPSIT

IVLIVS STEVP.

IENAE
IN AEDIBVS E. FROMMANNI
MDCCCLXXI.

HERMANNO · VSENERO

PRAECEPTORI · CARISSIMO

PRAEFATIO.

De Probis grammaticis postquam Fridericus Osannus in symbolarum ad historiam litterarum et Graecarum et Romanarum volumine altero Gissae anno 1839 emisso (p. 166—280) disputavit, universam quaestionem retractavit nemo, partes eius vel maiores vel minores cum alii tum hi: O. Iahnius in prolegg. in Pers. p. CXXXVI sqq., Th. Bergkius in eis quae ad anecdotum Parisinum de notis, cuius neque Osannus neque Iahnius rationem habere potuerat, adnotavit diar. ant. stud. 1845 partic. 11. 14 sqq., Th. Mommsenus in act. societ. Saxon. vol. V a. 1853 p. 91 sqq. et in Keili gramm. Latt. vol. IV p. 265 sqq., A. Riesius dissertatione de commentario Vergiliano qui M. Valeri Probi dicitur Bonnae 1862 edita et in Fleckeiseni annall. philoll. vol. 93 a. 1866 p. 465 sqq. et 868 sqq., O. Ribbeckius in Fleckeiseni annall. philoll. vol. 87 a. 1863 p. 351 sqq. et in prolegg. in Verg. p. 136 sqq. et VIII sqq., H. Keilius in symb. philoll. Bonn. p. 91 sqq. et in gramm. Latt. IV p. XVI sqq., H. Wentzelius in symbb. critt. ad hist. scriptt. rei metr. Latt. (Vratislaviae 1858) p. 28 sqq. et commentatione de Probo artifice Latino symbolae in honorem A. Stinneri gymnasi Oppoliensis directoris collectae inserta (Oppoli 1867). Cum hi viri de rebus satis gravibus non consentirent atque iam res ipsa postulare videretur, ut totam rem aliquis rursus adgrederetur atque absolvere conaretur, ordo philosophorum Bonnensis annorum 1867 et 1868 certaminibus hanc proposuit quaestionem: 'de M. Valerio Probo Berytio grammatico quaestio instituatur, ac primum quidem artis criticae, qua poetas et scriptores tractavit,

ratio accurate exponatur et quatenus cum Alexandrinorum arte coniuncta sit demonstretur; tum vero studia eius grammatica de sermone Latino instituta explicentur et varii libri qui sub Probi nomine feruntur quo iure quave iniuria ad Berytium referantur, disceptetur'. Quam quaestionem solvere ut conarer, auctor mihi fuit Otto Iahnius superioris anni auctumno cum summo omnium macrore immatura morte litteris ereptus, qui summa me prosecutus est benevolentia. Atque contigit mihi ut mense Augusto anni 1868 philosophorum ordo praemio publice constituto 'lubens merito' ornaret commentationem meam. Quam non leviter retractatam, quamquam nihil mutatum est quod gravioris esset momenti, iam plurium committo iudicio. Duobus autem viris magnas debeo gratias, quod omni modo hunc libellum foverunt, Antonio Klettio, viro optime de me merito, atque Hermanno Usenero, cui ob plurima in me merita has quaestiones sacras esse volui.

Restat ut additamenta quaedam et correctiones subscribam.

Ad p. 2 sq. Sero in manus meas venit L. Friedlaenderi de A. Gelli vitae temporibus dissertatio (Regiomonti 1869), unde alteram petitionis centuriatus commemorationem cognovi. Etenim de Pertinace Iulius Capitolinus c. 1 § 5 haec dicit: 'sed cum in ea (grammatica) minus quaestus proficeret, per Lollianum Avitum consularem virum, patris patronum, ducendi ordinis dignitatem petit'. Quo loco non puto codicum Suetonianorum verba defendi posse. Primum enim, cum addita sint verba 'per Lollianum Avitum' cet., mihi hic locus non videtur posse comparari cum Suetoni loco. Deinde temporis intervallum longius inter aetatem Probi Berytii et Pertinacis interpositum est. Si autem peti poterat centuriatus Probi Berytii aetate, cur Probus, cum ei non esset quaestus quaerendus, eum diu petiverit — quanta dignitas tum centuriatus fuerit etiam ex Plini epp. VI, 31, 4 perspici potest —, prorsus non intellegitur. Nam si militiae studio flagrabat, ne illud quidem quod nisi virtute centuriatum non poterat adipisci eum a militia abducere potuit.

Ad p. 17. De Gelli loco XIII, 14, 7 cf. etiam Hertzius mus. Rhen. XVII p. 578 sqq. et Mercklinus mus. Rhen. XVIII p. 297 sqq.

Ad p. 18 v. 6. Τῶν δευτέρων φροντίδων, quae non semper sunt σοφώτεραι, errore factum est ut Marcum idem secutum esse significarem ac Lampadionem et reliquos cf. epp. 1, 6.

Ad p. 24. De distinctione cf. etiam tractatus de notis ab H. Kettnero (adnott. critt. ad Varr. et gloss. Latina) editus p. 35.

Ad p. 30 v. 18. Lege *Leogoras*.

Ad p. 32 v. 5 ab ima pag. Dele distinctionem post *scripsisse* positam.

Ad p. 33 v. 8 ab ima pag. Lege *suis*.

Ad p. 35 v. 10. Lege *adv. gramm.* 91.

Ad p. 39 sqq. Fortasse de quattuor grammaticae ὀργάνοις cogitavit Seneca philosophus, cum epp. 88, 3 post verba 'grammaticus circa curam sermonis versatur et, si latius evagari vult, circa historias, iam ut longissime fines suos proferat, circa carmina. quid horum ad virtutem viam sternit?' adderet verba: 'syllabarum enarratio et verborum diligentia et fabularum memoria et versuum lex ac modificatio? quid ex his metum domit, cupiditatem eximit, libidinem frenat?'

Ad p. 40 E Maximi Victorini loco grammaticae officia eorumque definitiones petivit is qui scripsit artem codicis Bambergensis 18, cuius praefationem edidit Keilius de gramm. quibusd. Latinis infimae aetatis (Erlangae 1868) p. 12 sqq.

Ad p. 46 adn. 24 Si quando de coronide, simplici ductu, obelo cum aversa, similibus notis dubitari poterat, alias etiam notas velut diplen periestigmenen Probus videtur apposuisse eodem modo quo non est dubium quin verba mutata atque distinctiones mutatas notis appositis indicaverit.

Ad p. 53 v. 2. Lege *locutus est — hoc*.

Ad p. 59 v. 25. Non difficilius in historico damnatio et transpositio verborum ad versuum spatia accommodari poterant quam in poeta, si historicorum libri per cola scribebantur (cf. F. Blassius mus. Rhen. vol. XXIV p. 524 sqq.). Sed hoc vix quisquam statuet.

Ad p. 71 v. 21. Lege *t. III f.* 92.

Ad p. 71 v. 32. De Suidae loco cf. Hertzius mus. Rhen. vol. XVII p. 584 sqq.

Ad p. 72 sqq. Friedlaenderus in dissertatione quam de A. Gelli vitae temporibus scripsit Gellium natum esse statuit circiter a. 130, rationibus ille nisus, ut mihi videtur, non satis firmis. Nam quod p. 3 sq. Erucium Clarum e Gelli loco XIII. 18 effici posse putat post alterum consulatum praefectum urbi factum esse, hoc mihi quidem minime persuasit. Neque magis recte mihi videtur p. 3 ea quae XI, 15, 8 narrantur adulescentiae Gelli tribuere, cum vox 'noster' Apollinaris nomini addita mihi videatur documento esse hunc locum ad idem fere tempus pertinere atque XII, 13 et XIII, 20. — Praeter Plini minoris locum epp. II, 9, cuius mentionem feci in adn. 12, Friedlaenderus p. 3 ad Erucium Clarum Gellianum rettulit etiam locum Frontonis qui me fugerat, qui nihil habet dubitationis, ad Ant. P. 3 p. 165 Nab.: 'Turboni Marcio et Erucio Claro erat familiarissimus, qui duo egregii viri alter equestris, alter senatorii ordinis primarii fuerunt'.

Ad p. 75 v. 11. Dele distinctionem post *esse* positam.

Ad p. 76 v. 8. Aurelius Victor de Caess. 14 tradit Hadrianum Antoninum conspexisse senis soceri a u t g e n i t o r i s anxios gressus levantem manu.

Ad p. 80 v. 13. Lege *scriptores veteres, secundum*.

Ad p. 92 v. 13 et 14. Lege *sepulchro*.

Ad p. 105 v. 12. Lege *ut apud Vergilium 'vocemque his auribus hausi'*?

Ad p. 106 v. 27. Lege ζ 102 *sqq*.

Ad p. 108 v. 29. Lege *aeterna*.

Ad p. 109 v. 23. Lege 'ꝉ *regnq;*'.

Ad p. 111 v. 34. Post *VI*, 866 adde *VII*, 421

Ad p. 112 v. 6 ab ima pag. Lege *p. Chr.*

Ad p. 115 v. 4. In Fleckeiseni ann. phill. vol. 95 1867 p. 648 Riesius hanc adnotationem a M Valerio Probo profectam esse sibi quoque ait iam esse persuasum.

Ad p. 135 v. 16. Lege *proprias*.

Ad p. 175 v. 8. Lege *dispicio*.

Ad p. 176 v. 2 ab im. pag. Lege *item*.

Ad p. 179 v. 9. In symb. philoll. Bonn. p. 94 Keilius codicem non Leidensem 136, sed Leidensem 135 nominat, quod verius esse videtur, cum paullo post symb. p. 95 praef. p. XXIV Keilius codicis Leid. 135 nulla temporis definitione addita mentionem fecerit.

Scripsi Ienae Nonis Decembribus anni MDCCCLXX.

CAPITVM ELENCHVS.

Cap. I.

De Probo Suetoniano.

De M. Valerio Probo Berytio quaestionem instituere qui consilium cepit, ei proficiscendum est ab eis quae C. Suetonius Tranquillus eius partis librorum de viris inlustribus qua de grammaticis et rhetoribus exposuit capite 24 tradidit. Quae omnem habet speciem verisimilitudinis verissima esse, cum nullius grammatici Probo aetate posterioris Suetonius mentionem fecerit. Quid? quod si cum Hieronymo circiter annum p. Chr. 56 Probum Berytium claruisse putamus, vix quinquaginta annis post Suetonius vitam eius adumbravit? Iam vero volgo putant triginta fere annis post annum ab Hieronymo significatum demum Probum Berytium claruisse. Quam sententiam si sequimur, etiam minus nobis sumere possumus, ut Suetonium corrigamus. Itaque quae via in quaestione de Probo Berytio instituenda ineunda sit, dubitari non potest: ad ea quae Suetonius tradidit tamquam ad normam cetera sunt exigenda. Si autem ea tantum quae cum eis quae Suetonius tradidit conveniant ad Probum Berytium referri possunt, omnis fere quaestio eo redit, ut ea quae Suetonius de Probo Berytio memoriae prodidit quam poterimus accuratissimo explicemus atque inlustremus.

Atque Suet. de gr. et rh. 24 in. haec legimus: 'M. Valerius Probus Berytius diu centuriatum petiit, donec taedio ad studia se contulit.' Praenomen Probi Berytii in indice grammaticorum et rhetorum toti libello praemisso librariorum culpa omissum huius unius loci testimonio nititur. Berytum anno Ol. 191, 3 (740 u. c. vel 14 a. Chr.) coloniam Romanam deductam esse testatur Eusebius; duas ibi legiones (sc. veteranas) ab Agrippa

conlocatas esse Strabo tradit XVI p. 755 extr. ed. Cas.; exstant etiam nummi coloniae Beryti, de quibus disputavit Eckhelius doctr. numm. vett. III p. 355; fuit autem Berytus colonia iuris Italici (Ulp. dig. L, 15, 1). Itaque Romanum nomen in Berytio nihil habet admirationis; sed hoc maximo opere est mirandum Probum Berytium diu centuriatum — in cod. Neap. hoc vocabulum corruptum est in 'centuriam', in Vatic. 1518 in 'conturiatum' — dici petivisse. Nam quid tandem est centuriatum petere? Num centuriatus erat dignitas quae a paucis quibusdam peteretur? Petitio centuriatus nulla fuit, nisi forte unumquemque militem gregarium statuimus centuriatum petivisse; nam qui milites virtute atque rei militaris usu ceteris praestabant, ei centuriatibus ornabantur. Deinde quanti centuriatus aestimatus sit ultimis rei publicae liberae temporibus atque imperatorum aetate, inde patet, quod tantum plebeii ordinis homines iam centuriatu fungebantur, senatorii vel equestris ordinis adulescentes statim praefecti cohortis auxiliariae vel tribuni militum fiebant (cf. Marquardtius antt. Romm. III, 2, 278. 417). Iam vero ei qui centuriones erant tantum praefecturam cohortis auxiliariae, tribunatum militum, praefecturam alae equitum etiam poterant adipisci, plerumque autem centurionis locum omnino non egrediebantur (cf. Marquardtius III, 2, 417). Talem igitur dignitatem putabimus Probum Berytium diu captavisse? Praeterea estne credibile hominem qui per annos sedecim — tamdiu praetorianos constat milites stipendia meruisse — aut etiam viginti — per annos viginti legionariis erat militandum — miles gregarius fuisset, quod de Probo Berytio, si frustra centuriatum petivit, utique statuendum est, postea ad studia se contulisse atque etiam factum esse grammaticum nobilissimum? Quid? quod ne illi quidem stipendiorum numeri sufficiunt? Nam si taedio se ad studia contulit, etiam emeritis stipendiis centuriatus spe amplius militasse necessario est putandus; neque diu centuriatum petivisse dici potuit, si non diutius petiit quam unusquisque miles, cui per stipendiorum suorum annos non contigit ut centuriatum adipisceretur, quod tantum paucis contingere poterat. Sed quid plura dico de re ut mihi quidem videtur manifesta? Nullo igitur modo Suetonius potuit dicere 'diu centuria-

tum petiit.' Atque qua ratione haec verba sint emendanda, eis quae statim secuntur satis clare significatur: 'legerat in provincia quosdam veteres libellos.' Haec verba postnlant, ut ea quae antecedunt ad Probnm Romae versatum referantur; atqui nullo modo significatum est Probum Beryto Romam se contulisse, siquidem centurio etiam in nnaquaque fere provincia fieri poterat. Itaque pro centuriatu substituendnm est munus quod Romae tantum peti poterat. Quare equidem Suetonium pnto scripsisse: 'diu vigintiviratum petiit.' Corrnptela eo videtur esse orta, quod post vocem diu syllaba vi omissa est. Remota igitur opinione illa de Probo Berytio si dis placet decnrione vel optione neque tamen centurione habemus hominem summa adpetentem. Vigintiviratus enim, qno magistratu qui funotus non erat qnaestor fieri non poterat (Tac. ann. III, 29 in.), Caesarum aetate primus qnasi gradus erat quo ad summos honores ascendebatur. Creabantur antem vigintiviri ex equitibus (Cass. Dio 54, 26, 5 cf. 17, 3) i. e. ex eorum numero quibns quadringenta milia sestertinm erant, quae qnominus Probo snppetivisse statuamus nihil obstat, cum illnd huic censui optime videatur convenire, qnod, ut postea videbimus, cum ad studia se contulisset non aperuit scholam.

Itaque maiorum honorum adipiscendorum spe prorsus deiectus, cum statim in primo gradn adeo offendisset, ad grammatica studia Probus Berytius se contulit, qnorum ratio pependit ex disoiplina ea qna in patria usus erat. Sio enim Suetonius pergit: 'legerat in provincia quosdam veteres libellos apud grammatistam durante adhuo ibi antiquorum memoria necdum omnino abolita sicut Romae. hos cum diligentius repeteret atque alios deinceps cognoscere cuperet, quamvis omnes contemni magisque obprobrio legentibus quam gloriae et fructui esse animadverteret, nihilo minns in proposito mansit.' Grammatistae qui fuerint in quarto capite legimus: 'sunt qui litteratum a litteratore distinguant ut Graeci grammaticnm a grammatista et illnm quidem absolute, hunc mediocriter doctum existiment.' Apud eiusmodi igitur hominem Probus in provincia quosdam veteres libellos legerat i. e. illum libros quosdam veteres pronuntiantem commentantemque audiverat. Eodem modo 'legere apud

aliquem' Suetonius dixit c. 2 'Lucili saturas quas legisse se apud Archelaum Pompeius Lenaeus, apud Philocomum Valerius Cato praedicant' [1]). Inter hos duos locos id tantum interest, quod grammatista ille pueros docuit, Laelius Archelaus et Vectius Philocomus, quoniam id egerunt ut Lucili satiras magis divolgarent ac nota facerent, eas in conspectu hominum omnium aetatum pronuntiaverunt et commentati sunt. De utroque auditorum genere idem dici nemo mirabitur qui consideraverit etiam eas locutiones quae ad grammaticum docentem spectant in universum valere neque quidquam referre utrum quis in magna frequentia an coram paucis vel familiaribus vel pueris doceat. Legere poetas non magis grammaticorum auditores quam ipsi grammatici dicuntur. Nam ut ei qui grammaticum poetas pronuntiantem ac commentantem audiunt dicuntur apud illum eos legere, ita simplex locutio quae est poetas legere ad grammaticum ipsum spectat. Iam sub finem capitis 24 legimus: 'unum et alterum vel cum plurimos tres aut quattuor postmeridianis horis admittere solebat cubansque inter longos ac volgares sermones legere quaedam idque perraro' et similiter apud Ovidium Trist. II, 369 sq.: 'Fabula iucundi nulla est sine amore Menandri, Et solet hic pueris virginibusque legi' (cf. Quint. I, 8, 7); contra in Suetoni verbis 'quamvis omnes (sc. scriptores veteres) contemni magisque obprobrio legentibus quam gloriae et fructui esse animadverteret' de acroasibus coram omnibus factis videtur esse cogitandum. De utroque fortasse lectionis genere cogitandum est in versiculis incerti qui videtur esse Furius Bibaculus apud Suet. c. 11: 'Cato grammaticus, Latina Siren, Qui solus legit ac facit poetas.' Quibus verbis hoc mihi significari videtur Valerium Catonem solum non modo ut ceteros grammaticos poetas legere atque interpretari, sed etiam poetas facere: eo enim consilio hos versus Suetonius affert, ut ostendat maxime ad poeticam tendentibus Catonem fuisse praecepto-

1) Non prorsus similis fuisse videtur lectio oratorum et historicorum apud rhetorem (Quint. II, 5. Gell. XI, 13) et philosophorum apud philosophiae doctorem (Gell. XVII, 20). Aliter etiam habet Gell. XVIII, 5, 7 'cum . . . *quadrupes equus* apud suum quisque grammaticum legisse se dicerent.'

rem peridoneum [2]). Pro simplici verbo legendi eadem significatione legere (i. e. pronuntiare) commentarique Suetonius dixit c. 2: 'hactenus tamen (sc. nostri Cratetem imitati sunt) ut carmina parum adhuc divolgata . . . legendo commentandoque et ceteris nota facerent,' ubi propter consilium quod grammatici illi vetustissimi sequebantur necessario de acroasibus coram omnibus qui audire voluerant habitis cogitandum est [3]). Dicitur etiam de eadem re praelegere cum a Suetonio tum ab aliis. Atque hoc etiam verbum prorsus in universum valet. Sic c. 16 extr. legimus: '(Q. Caecilius Epirota) dicitur... primus Vergilium et alios poetas novos praelegere coepisse,' ubi Domiti Marsi versus qui additur: 'Epirota tenellorum nutricula vatum' vetat tantum de scholastica praelectione cogitare [4]). In vit. Luc. loco qui est 'poemata eius etiam praelegi memini' incerta est res. Contra de gr. et rh. 1 'antiquissimi doctorum — Livium et Ennium dico quos utraque lingua domi forisque docuisse adnotatum est — nihil amplius quam Graeca interpretabantur aut si quid ipsi Latine composuissent praelegebant' ad praelectiones coram paucis vel in domibus doctorum vel in domibus puerorum aut familiarium qui docebantur habitas spectare apparet. Itaque non est mirum magistrum praelectoremque coniungi a Gellio XVIII, 5, 6: 'ecquid

---

2) C. Fr. Hermannus in Guett. Gel. Anz. 1843 p. 375, ubi Heusdi (stud. crit. in Lucil. p. 146 sq. cf. epist. ad Herm. p. 22) miram horum versuum tractationem recte vituperat, verbis 'solus legit poetas' hoc dici putavit Valerium Catonem ceteros poetarum interpretes prorsus obscurasse. Eodem modo iam Welchertus (poett. Latt. rell. p. 359 adn.) haec verba videtur intellexisse qui ad ea inlustranda conferri iussit Gell. XVIII, 4, 2: 'cum ille se unum et unicum lectorem esse enarratoremque Sallustii diceret.' Sed cum poetas legere omnium grammaticorum fuerit officium, poetas facere non item, cum alio certe modo Cato solus poetas legerit, si solus legit, alio solus fecerit, hae duae res eo quo Hermannus factum esse statuit modo vix apte coniungi possunt.

3) Eodem modo Gellius XVIII, 4, 2 loquitur de lectore enarratoreque Sallusti, postquam antea §. 1 locutione lectionis Sallustianae non minus enarrationem quam pronuntiationem Sallusti librorum significavit.

4) Ribbeckius proll. Verg. p. 114 vivi etiam Vergili carmina praelegendo Epirotam aequalibus commendasse suspicatur, sed vivorum poetarum carmina grammaticos veteres pertractasse nullo nisi fallor conprobari potest exemplo.

putatis, si magistrum praelectoremque habuisset alicuius aeris, quadrupes ecus dicturum fuisse ac non quadrupes eques?' Quintilianus ut saepius grammatici (I, 5, 11. 8, 8. 13.), ita II, 5, 4 rhetoris praelectionem commemorat, quae neque in hoc adhibeatur, ut facile atque distincte pueri scripta oculis sequantur, neque vim cuiusque verbi, si quod minus usitatum incidat, doceat, sed virtutes vel vitia orationis demonstret. Omnibus autem locis ubi grammaticae praelectionis facit mentionem, Quintilianus de ea tantum praelectione loquitur quae coram pueris fiebat: nimirum in tota de arte grammatica expositione tantum de puerorum disciplina agit. Ex Quintiliano autem apparet quid proprie sibi voluerit praepositio prae: legentibus enim singulis pueris magister ipse praeibat cf. II, 5, 3 et I, 2, 15. — Iam cum eae locutiones quae ad grammaticum docentem spectant in universum valeant, idem ad eas quae de auditoribus dicuntur pertinere consentaneum est.

Haec fusius exposui propter Heusdi de capitis 2 loco eo ubi de vetustissimis grammaticis Romanis agitur sententiam, de qua quid iudicem, quia totus hic locus ut recte explicetur, ut postea apparebit, de Probo Berytio quaestionem instituentis maximo opere debet interesse, accuratius exponam necesse est. Itaque c. 2 in codicibus haec invenimus: 'hactenus tamen imitati (sc. nostri Cratetem; vocem 'imitati' Reifferscheidius recte cum J. Fr. Gronovio videtur uncis inclusisse) ut carmina parum adhuc divolgata vel defunctorum amicorum vel si quorum aliorum probassent diligentius retractarent ac legendo commentandoque et ceteris nota facerent; ut C. Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum divisit in septem libros; ut postea Q. Vargunteius annales Ennii, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat; ut Laelius Archelaus Vectius Q. Philocomus (ex Jac. Gronovi coniectura recte Rothius et Reifferscheidius scripserunt 'Vectiusque Philocomus') Lucilii saturas familiaris sui, quas legisse se apud Archelaum Pompeius Lenaeus, apud Philocomum Valerius Cato praedicant.' Iam Heusdius stud. crit. in Lucil. p. 46 pro verbis 'familiaris sui' scribendum esse proponit 'familiaribus suis': promptum enim esse putavit videre divorsam

rationem fuisse commendandorum Enni annalium et Lucili satirarum: illos publice in magna hominum corona Vargunteium pronuntiasse, has privatim in domibus suis Archelaum et Philocomum exposuisse neque omnibus qui eas cognoscere cupivissent, sed tantum familiaribus suis. C. Fr. Hermannus in Goett. Gel. Anz. 1843, ubi de Heusdi libro iudicium tulit, p. 370 illam oppositionem magis speciosam quam veram esse ait, praesertim cum de carminibus divolgandis Suetonius diceret, 'familiaris sui' autem spectare ad verba 'carmina parum adhuc divolgata vel defunctorum amicorum' cet. Tum Heusdius epist. ad C. Fr. Hermannum p. 15 sqq. coniecturam suam defendit ac tam feliciter, ut et Ritschelio eam probaret (cf. Par. p. XVII sq. et mus. Rhen. nov. VI p. 522 adn.) et Reifferscheidius eam reciperet. Quod ego non possum non mirari, nam neque concedere possum mutatione opus esse Heusdium demonstrasse neque 'familiaribus suis' ad hunc locum convenire. Atque quod Heusdius (epist. p. 16) mirabatur, cur Pompeius Lenaeus et Valerius Cato dicerentur Lucili satiras legisse apud magistros, cum magistri paullo ante dicti essent ipsi legisse et nota fecisse ceteris et pronuntiasse in magna frequentia, Suetoni de Lenaeo et Catone verba tantum de privata lectione intellegi posse arbitratus (cf. p. 21), de hac re dicam post ea quae supra exposui non iam oportere existimo. Deinde, cur Pompeium Lenaeum et Valerium Catonem e magno auditorum numero solos Suetonius commemorasset, satis miro modo quaesivit. Quid enim? Si plurium auditorum nomina Suetonio nota fuerunt, cur non potest putari ceteros non existimasse commemoratione dignos, Lenaeum autem et Catonem, grammaticos notissimos, Archelai et Philocomi auditores fuisse satis memorabile indicasse? Tum, quod mirabatur quomodo libertini illi Lucili potuissent esse familiares, ut concedam grammaticos illos fuisse libertinos, quod propter nomina eorum sane valde est verisimile, eodem modo Curtius Nicia, quem et ipsum libertinum fuisse suspicari non minus licet, familiaris fuit Cn. Pompei C. Memmi M. Ciceronis (Suet. c. 14). Magis speciosum est quod Heusdius parum consentaneum esse dixit Suetonium antea primum amicorum, deinde aliorum mentionem facere, postea vero non primos sed postremos appellare

poetarum amicos. Sed cum defunctorum amicorum carmina prorsus eodem modo sint pertractata atque defunctorum aliorum, cum Suetonius id agat, ut consuetudinis exempla afferat, non ut omnes eiusmodi lectiones enumeret, hoc utique ei largiendum puto, ut temporum rationem secutus ea afferat exempla, quae ei maxime visa sunt memorabilia. — Iam contra Heusdi coniecturam, ut hoc quoque persequar, praeterquam quod, id quod recte perspexit Hermannus, si Archelaus et Philocomus tantum familiaribus suis Lucili satiras praelegissent, quoniam agitur de eiusmodi praelectionibus, quae in hoc adhibeantur, ut carmina parum adhuc divolgata quam plurimis fiant nota, omnino parum apte praelectionum illorum exemplis Suetonius usus esse existimandus esset, duae res gravissimae mihi videntur facere, altera grammatica, altera quae ad res pertineat. Si Suetonius id dicere voluisset, quod Heusdius eum dicere voluisse putat, eodem modo quo antea enuntiato relativo usus de Varguntei annalium Enni praelectione dixit 'quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat', sic fere praelectionum Archelai et Philocomi ratio relativo enuntiato ei erat describenda: 'quas in domibus suis coram paucis familiaribus praelegebant.' Cum autem non sit usus enuntiato relativo, ut ad verba 'ut C. Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum' et ad verba 'ut postea Q. Varrunteius annales Ennii' cogitatione supplendum est 'retractauit ac legendo commentandoque et ceteris nota fecit', ita, si Suetonium probe locutum esse statuimus, ad verba 'ut Laelius Archelaus Vectiusque Philocomus Lucilii saturas' supplendum est 'retractarunt ac legendo commentandoque et ceteris nota fecerunt.' Atque si intellexisset quid sibi vellent verba 'ut carmina parum adhuc divolgata . . . diligentius retractarent ac legendo commentandoque et ceteris nota facerent' et quam arcte duo huius enuntiati membra inter se cohaererent, nunquam Heusdius pro verbis 'familiaris sui' proposuisset scribendum esse 'familiaribus suis.' Ut enim alterum membrum continet notionem carmina praelegendo ac commentando ceteris nota faciendi, ita prius 'carmina diligentius retractarent' nihil aliud valet nisi 'carmina rursus attentius legendo sibi ipsis notiora facerent.' Non ignoro volgo haec verba aliter intellegi atque ad artem criticam quam nos di-

cimus referri, ita ut retractare hoc loco idem valere putetur atque διορθοῦν vel emendare; sed quid tum sibi volunt verba 'et ceteris'? Haec mihi quidem prorsus flagitare videntur eam quam statui oppositionem. Deinde emendationes carminum, a quibus seiungi non possunt editiones, nonne et ipsae pertinent ad carmina divolganda ac nota facienda? Denique equidem maximo opere dubito, num retractandi verbum a Suetonio omnino potuerit ita dici, ut volgo intellegitur, hoc est num non de scriptis ipsis corrigendis atque perpoliendis, sed de librariorum mendis tollendis dici potuerit. Emendandi verbum de utraque re dicitur — ad scripta ipsa spectat velut Quint. X, 4; eodem modo Cato grammaticus Lucili versus male factos dicitur parare emendare in versibus satirae Horati I, 10 volgo praemissis —, retractare, ubi ad emendandi notionem accedit, semper est magis minusve mutare. Atque sic ut saepissime de scriptoribus ipsis dicitur, ita nonnunquam etiam de aliis [5]), velut Plautus traditur veterum poetarum comoedias retractasse et expolivisse (Gell. III, 3, 13) et Cornutus in vita Persi dicitur Persi saturas priusquam ederentur leviter retractasse prorsus eodem modo quo Varius et Tucca Vergili Aeneidem summatim emendatam edidisse feruntur (Don. vit. Verg. p. 64 Reiff. p. 739 Hag.) et quo Q. Cicero annales suos a Marco fratre emendari et edi cupivit (Cic. ad Att. II, 16, 4), cf. etiam Plin. epp. I, 2, 1: 'Quia tardiorem adventum tuum prospicio, librum quem prioribus epistulis promiseram exhibeo. hunc rogo ex consuetudine tua et legas et emendes, eo magis quod nihil ante peraeque eodem stilo scripsisse videor' cet. Uno quidem loco scriptoris infimae aetatis retractare quodammodo ad artem criticam spectat: Apollinaris Sidonius epp. V, 15 de bibliopola (i. e. librario) ad eum misso, cuius fidem et celeritatem expertus erat, Ruricio haec scribit: 'librum igitur iam ipse deportat heptateuchi scriptum velocitate summa, summo nitore, quamquam et a nobis relectum

5) De auctoribus solis dici videtur rescribere cf. Asin. Pollio ap. Suet. Caes. 56, Plin. epp. V, 8, 7. VIII, 21, 6. Retractandi notioni hoc verbum subicitur a Plinio minore epp. VII, 9, 5: 'poteris et quae dixeris post oblivionem retractare, multa retinere, plura transire, alia interscribere, alia rescribere.'

et retractatum' (cf. de hoc loco O. Jahnius in comment. de subscriptt. act. societ. Saxon. litt. 1851 p. 368), ubi librum relegere et retractare is dicitur qui exemplum ab alio descriptum ad exemplar recognoscit. Atque potuit ita dicere Sidonius, cum retractare omnino dicatur quicunque sive post alium sive post priorem ipsius curam ad rem aliquam redit. Nunquam autem nisi fallor hoc verbum ita dicitur, ut praepositionis quae est re vis prorsus fere evanescat. Iam si in Suetoni loco explicando meam rationem sequimur, eodem modo ibi retractare dictum est atque Sen. epp. 46, 3: 'de libro plura scribam si illum retractavero, nunc parum mihi sedet iudicium, tamquam audierim illa, non legerim,' ubi non est dubium quin significet denuo perlegere. Diligentius autem retractare idem fere est ac diligentius repetere in Suetoni de Probo Berytio veteres libellos quos in provincia legerat Romae accuratius cognoscere cupiente verbis: 'hos cum diligentius repeteret' cet.[6] — Ad alteram causam ut transeam, si cum Heusdio scribimus 'familiaribus suis', Pompeius Lenaeus et Valerius Cato familiares Laeli Archelai et Vecti Philocomi fuisse putandi sunt. At hi non paucis annis illis videntur fuisse aetate superiores. Quod duabus ex rebus colligitur: primum enim illorum aetas non potest putari nimis recessisse ab aetate Lampadionis, quem sub ipsum Cratetis adventum floruisse ex toto loco apparet, deinde Archelaus et Philocomus certe multo existimari non possunt aetate inferiores fuisse L. Aelio Stilone, de quo in capite 3 Suetonius exponit, quem Madvigius Opusc. I, 105 et Ritschelius Par. p. 239 circiter annum 600 u. c. vel 154 a. Chr. natum esse statuunt. Pompeius Lenaeus autem, qui Pompei Magni libertus et paene omnium expeditionum comes defuncto eo filiisque eius i. e. non ante annum 35 a. Chr. scholam aperuit (c. 15), vix putari potest ante an-

6) Diligentius retractare de Materno Catonem suum ut putat emendante atque rescribente Iulium Secundum dicentem facit auctor dial. de oratt. 3. Similiter diligentius repetere invenitur Quint. ep. ad Tryph. §. 2: 'usus deinde Horati consilio, qui in arte poetica suadet ne praecipitetur editio nonumque prematur in annum, dabam eis (libris meis) otium, ut refrigerato inventionis amore diligentius repetitos tamquam lector perpenderem.'

num 100 a. Chr. vel 654 u. c. natus esse; iam Valerius Cato, si, ut ipse in libello cui titulus erat 'indignatio' ait (c. 11 in.), ea res quod pupillus relictus erat in causa fuit; ut facilius licentia Sullani temporis exueretur patrimonio, necessario eo tempore etiam adulescentulus fuit. Quamquam fuerunt qui C. Octavium Lampadionem Santrae, qui Varronis aequalis erat [7], aequalem fuisse statuerent: ita Hertzius diar. ant. stud. 1845 partic. 50. Sed Hertzio ipsi illud pugnare visum est cum hac sententia quod Lampadionem Enni scripta emendasse ex Gelli loco XVIII, 5, 11 ('ut non turbidae fidei nec ambiguae, sed ut purae liquentisque esset *ecusne* an *eques* scriptum Ennius reliquisset, librum summae atque reverendae vetustatis, quem fere constabat Lampadionis manu emendatum, studio protioque multo ... conduxi' cet.) effici videretur, unde apparere videri apud Frontonem ad M. Caes. I, 7 (p. 20 ed. Naberi), ubi multi enumerarentur qui amicorum scripta descripsissent, sicut Bergkius diar. ant. stud. 1845 p. 121 suspicatus esset, Lampadionem eum esse intellegendum qui Enni libros descripsisset. Multo autem magis cum illa sententia pugnat quod Suetonius inter eos grammaticos Romanos qui Cratetis, quem sub ipsam Enni mortem i. e. circiter annum 169 a. Chr. Romam pervenisse tradit (cf. C. Wachsmuthius de Cratete Mallota p. 5, qui recte Suetoni fidem ita defendit, ut verba 'ab Attalo rege' quibus Suetonius utitur explicet 'ab Attalo regis propinquo'), auditiones imitati sint primum appellat Lampadionem. Nititur vero illa sententia Noni loco p. 170 M. 'septemfariam ut multifariam. Santra (codd. perperam 'sata') de verborum antiquitate l. II (vel III, sic corruptam codicum scripturam 'in' emendavit Lerschius) *quod volumen unum nos lectitavimus et postea invenimus septemfariam*

7) Hoc inde colligitur quod Curti Niciae qui familiaris fuit Pompei Memmi Ciceronis de Lucilio libros Santram conprobasse Suetonius de gr. et rh. 14 extr. tradit. Ratione enim valde probabili in eum locum pro librorum scriptura 'satura' vel 'satyra' Santrae nomen inlatum est. Neque quidquam videtur inpedire quominus Hieronym. prolog. in librum de scriptt. eccless. in. scriptores Latinos virorum inlustrium ('Varro Santra Nepos Hyginus et ... Tranquillus') secundum temporum rationes enumeratos esse statuamus.

divisum': hunc enim locum Lerschius de versu Sat. p. 78 et diar. ant. stud. 1839 partic. 13 p. 100 rettulit ad Naevi bellum Punicum a Lampadione in septem libros divisum idque satis probabiliter. Atque sane fortasse inde efficeretur Santram et Lampadionem fuisse aequales, nisi Noni neglegentiae omnia possent tribui. Nam ut Non. p. 197 M. legimus: 'culleus masculino saepe. neutro Varro de re rust. lib. I *in singula iugera dena cullea vini fiunt*', ipse autem Varro rer. rust. I, 2, 7 haec verba affert ex Catonis libro originum II (numerus in codicibus librariorum culpa intercidit), ita illo loco Nonius ea quae Santra ex vetustiore scriptore Lampadionis aequali attulerat, tamquam ipsius Santrae verba videtur attulisse [8]).

8) Lerschius in mus. magistr. Rhen. et Guest. III 1845 p. 232 Noni locum fortasse etiam ad Catonis origines referri posse suspicatus est et p. 234 Lampadionem fortasse ut Naevi bellum Punicum ita etiam Catonis origines in septem libros divisisse coniecit, sed ille argumentis prorsus futilibus nisus. Nam quod re vera dubitationem movere potest, duorum locorum ubi Catonis origines a Varrone afferuntur (rer. rust. I, 2, 7 et II, 3, 3) neutro in codicibus Varronianis inveniri librorum numerum neque in universum origines afferri, sed altero loco legi 'in libro originum', altero 'in originum libro', omnino non commemoravit. Sed si mirum est utroque loco numerum intercidisse, multo magis esset mirandum, si Varro in rer. rust. libris, quos octogesimo aetatis anno (cf. I, 1, 1) scripsit, i. e. circiter annum 36 a. Chr. vel 718 u. c. non agnovisset originum divisionem, Cicero in libro de senectute, qui scriptus est a. 44 a. Chr. vel 710 u. c. — ita probabiliter statuit Sommerbrodtius p. 7 sqq. — c. 11, 38 Catonem ipsum de septimo originum suarum libro mentionem facientem induxisset. Quod Cicero nullo modo facere potuit, si ipsius aetate Catonis historia a grammatico aliquo in septem libros divisa erat, vix potuit, si a Lampadione divisa erat, ea autem divisio tum nondum omnibus probata erat cf. H. Jordanus Cat. rell. proll. p. XIX, qui etiam optime monuit etiam tribus Servi locis numerum librorum Catonis originum manifesta librariorum neglegentia intercidisse. Quod Lerschius ex Front. ad M. Caes. I, 7 p. 20 ed. Nab. 'Quid? tale aut M. Porcio aut Q. Ennio aut C. Graccho aut Titio poetae? quid? Scipioni aut Numidico? quid? M. Tullio tale usu venit? quorum libri pretiosiores habentur et summam gloriam retinent, si sunt a Lampadione aut Staberio aut (hic quattuor fere litterae evanuerunt) vi aut [Tirone] aut Aelio (hic duo versus et dimidius evanuerunt) aut Attico aut Nepote. mea oratio exstabit M. Caesaris manu scripta' M. Porci Catonis libros a Lampadione descriptos esse effecit, ex eo loco quis cuius libria adversus librariorum incuriam opem tulerit certo concludi non potest. Fronto

Iam ut ad Suetoni Probi Berytii vitae adumbrationem revertamur videamus quidnam statuendum sit de verbis 'quosdam veteres libellos' et 'antiquorum memoria.' Reifferscheidius Suet. rell. p. 395, cum ex Suetoni verbis 'multaque exemplaria contracta emendare ac distinguere et adnotare curavit, soli huic nec ulli praeterea grammaticae parti deditus', quae statim secuntur, necessario opinaretur id effici Probum Berytium solis veteribus scriptoribus operam navasse, cum aliis testimoniis, de quibus postea disputabimus, illum etiam recentiores poetas pertractasse ei probari videretur, antiquorum nomen etiam ad Augusteae aetatis poetas rettulit. Sed illud ex Suetoni verbis necessario effici recte negavit Riesius de comm. Verg. qui M. Valeri Probi esse dicitur p. 5 sq., qui Suetoni verba rectius ita explicavit, ut solam illam grammaticae partem statueret universe intellegendam esse eam quae versaretur in scriptoribus emendandis distinguendis adnotandis. Neque minus recte idem ea quae de veterum Probi Berytii aetate existimatione Suetonius traderet ('antiquorum memoria .. omnino abolita' et 'quamvis omnes contemni ... animadverteret') ullo pacto convenire negavit Horatio aut Vergilio. Quod maxime ex duobus testimoniis apparere puto: Seneca epp. 58, 5, ubi de quibusdam antiquis vel vocibus vel formis exposuit quae etiam apud Vergilium invenirentur, haec dicit: 'non id ago nunc hac diligentia ut ostendam quantum tempus apud grammaticum perdiderim, sed ut ex hoc intellegas, quantum apud Ennium et Accium verborum situs occupaverit, cum apud hunc quoque (sc. Vergilium) qui cotidie excutitur aliqua nobis subducta sint' cf. epp. 108, 24 sqq.; deinde Quintilianus I, 8, 5, ubi exponit de scriptoribus qui pueris sint praelegendi, dicit: 'ideoque optime institutum est ut ab Homero atque Vergilio lectio inciperet.' Ex quibus locis satis

---

enim non sequitur scriptorum quos enumeravit ordinem in amicis enumerandis qui illorum libris operam navarint neque temporum rationem — Staberius enim Eros qui temporibus Sullanis floruit atque Brutum et Cassium docuit (Suet. de gr. et rh. 13) aetate minor fuit Aelio Stilone —, sed si prorsus ad arbitrium eum enumerare statuere nolumus, tantum videtur sequi locum quo quisque eorum fruebatur, ita ut a libertinis incipiat; quare haud scio an recte Maius vocem 'Tirone' sibi vidisse visus sit.

opinor apparet Vergili certe memoriam per primum saeculum nunquam fuisse abolitam. Etiam illud facit contra Reifferscheidi sententiam quod in novis poetis Vergilius a Suetonio numeratur c. 16, ubi de Q. Caecilio Epirota Attici liberto haec tradit: 'primus dicitur . . . Vergilium et alios poetas novos praelegere coepisse.' Videtur igitur veterum sive antiquorum poetarum appellatione Suetonius eos tantum conprehendisse qui fuerunt ante aetatem Catulli Calvi ceterorum quos Cicero Tusc. III, 19, 45 cantores Euphorionis, or. 48, 161 poetas novos vocat, qui prorsus novam poesis rationem induxerunt. De poetis autem potissimum Suetonium cogitasse, quamvis universe veteres appellaverit, inde patet quod haec propria erat grammaticorum provincia cf. c. 4. Ac de oratoribus quidem volgo aliter statuebatur: qui fere antiqui oratores nominabantur, eorum memoria Probi Berytii aetate non magis erat omnino abolita quam poetarum Augusteae aetatis. Nam eloquentia Romanorum cum ultimis rei publicae temporibus maxime exculta ingruente dominatione statim esset fracta atque permutata, postea volgo ei oratores antiqui dicebantur qui vel ultimis rei publicae temporibus vel imperi Augusti initio fuerunt usque ad Cassium Severum, qui novom dicendi genus induxit cf. dial. de oratt. 19 in. Sic Suetonius Ner. 52 Neronem a Seneca praeceptore a cognitione veterum oratorum dicit esse aversum, quo diutius eum in admiratione sui detineret. De Catone Gracchis ceteris oratoribus vetustissimis in hac divisione fere non cogitabatur cf. dial. de orr. 18 in. Atque eam etiam Quintilianus, de cuius loquendi usu Spaldingius quaedam ad IV, 2, 118 adnotavit, saepe sequitur: sic X, 5, 2 Crassus Cicero Messala inter antiquos referuntur et X, 7, 14 Halmius scripsit: 'deum tunc adfuisse . . . veteres oratores ut Cicero dictitabant'; eodem modo XI, 3, 143 veteres oratores togam ad calceos usque demisisse probatur testimoniis Ploti (cf. Suet. de gr. et rh. 26) et Nigidi Figuli qui circa tempora illa scripserint; eadem divisio invenitur etiam X, 1, 122 'sunt summa hodie quibus illustratur forum ingenia. namque et consummati iam patroni veteribus aemulantur et eos iuvenum ad optima tendentium imitatur ac sequitur industria' et V, 4, 1 'quid attinet de his plura? plena sunt orationes ve-

terum ac novorum' cf. IX, 2, 41 sq. Sed aliis locis tria oratorum genera Quintilianus discernit, vetus, novom, denique medium quoddam genus quod non propria usurpat appellatione; tum veteres oratores sunt vetustissimi usque ad Ciceronis fere aetatem, novi ei qui post Cassium Severum fuerunt, quem Quintilianus etiam mediae aetatis oratoribus adiungit X, 1, 116 sq. cf. XII, 10, 11, medii illi sunt summi oratores cf. I, 8, 10. Sic VIII, 6, 15 Ciceroni opponi videtur vetus orator; IV, 1, 9 legimus: 'inde illa veterum circa occultandam eloquentiam simulatio multum ab hac nostrorum temporum iactatione diversa' ubi ne quis Ciceronis et ipsius Quintiliani tempora opponi existimet, conferat XII, 9, 5 'veteribus quidem etiam dissimulare eloquentiam fuit moris idque M. Antonius praecipit quo plus dicentibus fidei minusque suspectae advocatorum insidiae forent. sed illa dissimulari quae tum erat potuit; nondum enim tantum dicendi lumen accesserat, ut etiam per obstantia erumperet'; II, 5, 21—26, ubi non modo de oratoribus, sed etiam de historicis agitur (cf. II, 5, 1), cum Ciceronis Sallusti Livi lectionem commendet, pueris Quintilianus ait duo maxime genera lectionis cavenda esse, lectionem antiquorum i. e. Gracchorum Catonisque et aliorum eorundem temporum et lectionem novorum i. e. Quintiliani ipsius aetatis oratorum et historicorum; XII, 10, 10 sq., cum L. Crassus et Q. Hortensius inter vetustos et Ciceronis aequales interponantur, quattuor distinguuntur tempora. Haec autem duplex Quintiliani divisio non tantum ad oratores pertinet, sed etiam ad universos scriptores Latinos, quod in rhetore non est mirum. Sic veteres Ciceronis aequales intellegendi sunt IX, 3, 1 'si antiquum sermonem nostro comparamus, paene iam quidquid loquimur figura est, ut *hac re invidere*, non ut veteres et Cicero praecipue *hanc rem*' et VIII, 5, 2 'sententiae minus celebratae apud antiquos nostris temporibus modo carent' cf. XII, 10, 48. Contra alteram illam divisionem habemus velut I, 5, 63 'neque enim iam Calypsonem dixerim ut Iunonem, quamquam secutus antiquos C. Caesar utitur hac ratione declinandi'; X, 1, 40 'paucos vel potius vix ullum ex his qui vetustatem pertulerunt existimo posse reperiri, quin iudicium adhibentibus allaturus sit utilitatis aliquid, cum se Cicero ab illis

quoque vetustissimis auctoribus, ingeniosis quidem sed arte carentibus (cf. I, 8, 8. XII, 10, 10) plurimum fateatur adiutum. nec multo aliud de novis sentio'; X, 1, 43 'quidam solos veteres legendos putant neque in ullis aliis esse naturalem eloquentiam et robur viris dignum arbitrantur, alios recens haec lascivia deliciaeque et omnia ad voluptatem multitudinis imperitae composita delectant. ipsorum etiam qui rectum dicendi genus sequi volunt alii pressa demum et tenuia ... sana et vere Attica putant' cet., ubi rectum dicendi genus aetatis Ciceronianae dicendi genus intellegendum est; XII, 10, 32 denique antiquissimi distinguuntur a veteribus, ut hoc quoque loco de tribus aetatibus sit cogitandum. De poetis cum loquitur, semper tria tempora Quintilianus videtur discernere. Quosnam I, 8, 8 ubi de poetarum praelectione loquitur in verbis 'multum autem veteres etiam Latini (cf. §. 10) conferunt, quamquam plerique plus ingenio quam arte valuerunt' veteres poetas intellegi voluerit, ex §. 11 apparet ubi enumerantur Ennius Accius Pacuvius Lucilius Terentius Caecilius; neque magis dubitari potest quinam sint novi poetae qui §. 9 commemorantur: 'oeconomia quoque in his (veteribus poetis illis) diligentior quam in plerisque novorum erit qui omnium operum solam virtutem sententias putaverunt': sunt poetae Quintiliani aequales vel paullo eo antiquiores cf. VIII, 5, 2 et XII, 10, 48. In censura poetarum tragicorum (X, 1, 97 sq.) diserte tria tempora secernuntur: veteres tragici (cf. IX, 3, 14 'apud veteres tragicos comicosque'; I, 7, 22 'veterum comicorum'; I, 5, 21 'apud antiquos tragoediarum scriptores'), Vari atque Ovidi aetas, denique ei quos ipse viderit. — Plinius minor epp. IX, 22 Propertium et Horatium inter veteres refert; antiquos enim omnino intellegit eos qui ante ipsius aetatem fuerunt cf. VI, 21, 1 'sum ex eis qui mirantur antiquos, non tamen ut quidam temporum nostrorum ingenia despicio.' Eodem modo in versibus Senti Augurini qui leguntur apud Plin. epp. IV, 27, 4 Catullus et Calvus inter veteres numerantur cf. etiam Tac. Agr. 10 'formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae scutulae vel bipenni assimulavere.' Atque similiter A. Gellius appellatione veterum fere usus est, cui Pin-

darus non magis est vetus poeta (XVII, 10, 8) quam Masurius Sabinus qui Tiberi atque Neronis temporibus fuit vetus scriptor (V, 6, 27) atque is grammaticus, apud quem se offendisse ait Aventinum antea extra pomoerium exclusum, post auctore divo Claudio receptum et intra pomoeri fines observatum, vetus grammaticus (XIII, 14, 7, de quo loco cf. Mercklinus Philol. XVI 1860 p. 171, qui pro codicum scriptura 'Elydis' scribendum putat 'Felicis', ut de Laelio Felice sit cogitandum).

Iam quonam tempore Naevi Plauti Enni ceterorum antiquorum quos Suetonius dicit poetarum memoria Romae fuerit abolita, id postea considerabimus, ubi de aetate Probi Berytii disputabimus. Atque iam in ipsam aciem dimicationemque nobis est descendendum; explicanda enim iam sunt verba: 'multaque exemplaria contracta emendare ac distinguere et adnotare curavit, soli huic nec ulli praeterea grammaticae parti deditus'. Haec verba quibus describitur universa Probi Berytii studiorum grammaticorum ratio si recte explicaverimus, totius quaestionis pars satis magna erit profligata. Ac primum quidem de triplici opera dicendum est quam Probus Berytius in scriptoribus conlocavit, de emendando distinguendo adnotando, deinde de una illa grammaticae parte, cui soli fuit deditus. Iam emendare scriptorem vel librum hoc loco patet non ad expoliendum atque retractandum spectare, sed ad librariorum menda tollenda cf. Bergkius diar. aut. stud. 1845 p. 120. Atque haec verbi emendandi significatio latissime patet. Nam non minus de ea exemplarium recognitione dicitur quae novorum librorum editioni antecedebat, quae apud veteres respondit ei rei quam nos usurpamus corrigere (cf. Cic. ad Att. XIII, 23, 2), quam de grammatico pristinum splendorem vetustate obscuratum libris reddere curanto cf. O. Iahnius act. soc. Sax. 1851 p. 367. Priore illo modo libros emendandos curabant eidem qui describendos: superiore aetate scriptores ipsi cf. Cic. l. c., postea bibliopolae cf. Quint. ad Tryph. §. 3: 'multum autem in tua quoque fide ac diligentia positum est, ut in manus hominum quam emendatissimi veniant (sc. libri mei)'. Atque in hanc rem plerumque parum diligentiae conferebatur: volgaria scriptorum exemplaria cum Ciceronis aetate (cf. Cic. ad Qu. fr. III, 6, 6) tum postea perquam erant

mendosa. Itaque fiebat, ut, cuius intererat emendatissimum libri alicuius exemplar habere, is a scriptore libri peteret, ut exemplar de bibliopola emptum ipse recognosceret atque emendaret cf. Plin. epp. IV, 26 et Mart. epigr. VII, 11. Saepius vero fiebat, ut amici scriptorum horum libris contra incuriam librariorum opem ferrent: sic M. Caesar Frontonis orationem sua manu descripsit, pro qua re Fronto gratias agens epp. I, 7 p. 20 Nab. (cf. adn. 8) sic exclamat: 'Quid? tale aut M. Porcio aut Q. Ennio aut C. Graccho aut Titio poetae? quid? Scipioni aut Numidico? quid? M. Tullio tale usu venit? quorum libri pretiosiores habentur et summam gloriam retinent, si sunt a Lampadione aut Staberio aut . . . vi aut [Tirone] aut Aelio . . . . aut Attico aut Nepote. mea oratio exstabit M. Caesaris manu scripta'. Volgo hoc loco putant Frontonem Lampadionem et reliquos dixisse amicorum libros descripsisse, Hertzius autem in libello quem inscripsit 'Schriftsteller und Publikum in Rom' p. 9 adn. 14 rectius 'emendati' quam 'descripti' suppleri ait, ita enim Frontonis locum esse consensurum cum eis quae Suet. de gr. et rh. 2, anecdoto Parisino de notis, Gell. XVIII, 5, 11 (cf. p. 11) tradantur. Sed Suetoni quidem locus, si recte disputata sunt ea quae supra de eo exposui, cum Frontonis loco omnino conferri nequit; anecdotum Parisinum autem ad emendationem prorsus aliam pertinet. Haec enim librorum novorum vel emendandorum vel describendorum ratio accurate est distinguenda ab emendatione grammatica quae in scriptoribus paullo iam vetustioribus versatur. Grammatico ut veteres scriptores quam emendatissimos edendi officium expleat, conquirenda sunt exemplaria quam vetustissima et quam fidissima, quibus tamquam certo fundamento utatur, sed ita ut ubique iudicium suum interponat. Ita grammatici Alexandrini scriptores Graecos tractaverunt, ita Probus Berytius prorsus dubitari nequit quin emendarit Latinos. Atque Suetonius, si codicibus fides est, tradit eum emendare curasse veterum 'multa exemplaria contracta'. Quae verba satis mira sunt. Nam si hoc eis dici putamus, multa multorum veterum exemplaria a Probo esse emendata, permirum est non unum tantum exemplum ceteris conlatis Probum emendasse. Vix enim putare possumus tot exemplaria Probo suppeditavisse, ut

cum scriptores ederet supersedere posset novorum exemplarium confectione. Neque dubitari potest quin ut Apollinaris Sidoni ita Probi Berytii temporibus fuerint etiam spectatae fidei librarii. Praeterea ne subesse quidem illam vim codicum verbis concedere possum, sed qui totum locum consideraverit eum verba 'multa exemplaria contracta' aliter explicare posse nego atque 'multorum scriptorum veterum exemplaria quae contraxerat'. Iam vero neque cur vox 'contracta' addita sit neque cur exemplaria libri appellati sint, satis apparet. Itaque ego Suetonium puto scripsisse 'multosquo ad exemplaria contracta'. Ita — id quod exprimendum fuisse videtur — et multos scriptores veteres Probus dicitur pertractasse et multis adhibitis exemplaribus. Praepositio 'ad', postquam 'multosque' cum librariorum oculi ad ea quae sequebantur aberrarent in 'multaque' corruptum est, post 'multaq.' facile poterat intercidere. Iam in scriptoribus ad exemplaria contracta emendandis maximo opere Probum Berytium adiutum esse consentaneum est illis exemplaribus ab amicis scriptorum magna cum cura vel emendatis vel descriptis, de quibus modo dixi. Sic Statilium Maximum scimus in emendatione orationum M. Tulli usum esse exemplari Tironiano quod ex subscriptione apparet quae in fine orationis agrariae alterius in codicibus compluribus invenitur (cf. O. Iahnius l. c. p. 329): 'Statilius Maximus rursus emendavi ad Tyronem et Lactanianum (vel 'Laecanianum') et Dom. et alios veteres'. Ceterum Statilius Maximus, quem constat vixisse ante Iulium Romanum qui apud Charisium saepius eum commemorat, unus omnium qui in subscriptionibus scriptorum Latinorum classicorum scriptores sese emendasse praedicant re vera videtur critici officium explevisse cf. O. Iahnius l. c. p. 366 sq.; ceteri nihil aliud fere quam exemplaria ex singulis aut summum binis aliis correxerunt [9]). Eo-

9) Contra operam vere criticam in antiqua gestorum concilii Chalcedonensis translatione conlocavit Rusticus diaconus (cf. O. Iahn. l. c. p. 370 adn.) qui in initio primae actionis dicit: 'Rusticus ex Latinis et Graecis exemplaribus maxime Acoemit. (Acoemitensium) monasterii emendavi. Concilii Chalcedonensium actio prima in nomine domini nostri Iesu Christi coepit emendari D. KL. MAR. X. IND. XII.' De huius Rustici opera ob subscriptionem quam fini primae actionis subiecit, postea etiam, cum de adnotando agemus, dicendum erit.

dem modo de exemplis ad exemplaria recognitis agi videtur Suet. Dom. 20: 'quamqnam bibliothecas incendio absumptas impensissime reparare curasset exemplaribus undique petitis missisqne Alexandream qui describerent emendarentque (sc. exempla de exemplaribns Alexandrinis confecta)' [10]). Fronto autem epp. ad am. II, 2 p. 190 Nab., ubi Volnmnio Qnadrato scribit: 'Ciceronianos emendatos ac distinctos habebis; adnotatos a me leges ipse' cet., videtur de exemplari a grammatico quodam celebri emendato vel potius de exemplo ex libro sic emendato descripto cogitare. Graeci hoc grammatici officinm appellant διορθοῦν.

Altera Probi opera versabatur in verbis emendatis distinguendis. Distinguere Romanis illud fuisse constat quod nos vocamus interpungere; Romanis interpungere si proprie loqnebantur erat singula verba punctis interpositis discernere, non singula enuntiata vel enuntiatorum membra seiungere. Sic Mar. Vict. I, 4, 93 G. p. 2468 P. legimus: 'pr, quotiens praetorem significare vultis, nolite interpnngere, ne fiat populus Romanns, nec composita qualia sunt levianima biduancula tardigrada: haec enim finnt specie et significatione unum' cf. § 92 'quando distinguitis cum erit perfecta oratio et sensus concludetur, inter novissimam verbi litteram et primam sequentis in superiore parte versus punctum ponite aliud quam quod librarius inter duo verba posuit'. Eodem modo Seneca ep. 40, qua epistula nimia pronuntiandi velocitas vituperatur, § 11 hoc verbo utitur: 'quaedam tamen et nationibus pnto magis aut minus convenire: in Graecis hanc licentiam tuleris, nos etiam cum scribimus interpungere adsuevimus', quibus verbis Graecis continna scriptura utentibus opponuntur Romani punctis interpositis singulas voces discernentes: sic ne in loqnendo quidem Romanum decere multa verba sine intermissione una effundere. Quamquam fuit qui hoc loco Senecam de distinguendo loqui miro modo sibi persuasisset [11]). Ac si Senecae aetate Romani distin-

10) Potest hoc loco etiam cogitari de exemplaribus nullius fidei ad praestantissima bibliothecae Alexandrinae exemplaria recognitis.

11) Ita C. E. A. Schmidtius qui in Seebodi biblioth. crit. 1828 vol. I p. 381—383 pauca quaedam exposuit de distinctione et Graecorum et La-

ctionibus uti volgo consueverunt, etiam Quintiliani temporibus eundem morem obtinuisse exspectamus. Quod secus fuit. Nam qui reputaverit ea quae Quint. I, 8, 1 leguntur: 'superest lectio, in qua puer ut sciat ubi suspendere spiritum debeat, quo loco versum distinguere, ubi claudatur sensus unde incipiat, quando attollenda vel summittenda sit vox ... demonstrari nisi in opere ipso non potest', is concedet ea certe poetarum exemplaria quae Quintiliani aetate in manibus puerorum erant, non fuisse notis distincta: aliter nullo opus fuisset praeceptore qui ostenderet ubi versus esset distinguendus i. e. quo loco vox esset deponenda. Nam ubicunque Quintilianus distinctionis facit mentionem, mihi quidem non de notis distinctionis, quas grammatici Latini vel distinctiones vel posituras appellant, videtur cogitare, sed tantum de pronuntiandi ratione [12]). Fusius autem de distinguendo disputat XI, 3, 35—39, quippe qui in distinguendo alteram virtutem quae ad orationem dilucidam pertineat contineri existimet. Iam cum extrema hac disputatione dicat: 'virtus autem distinguendi fortasse sit parva, sine qua tamen esse nulla alia in agendo potest', dubitari non potest quin de loquendo, non de scribendo cogitet. Neque magis dubitari potest quin de pronuntiatione distincta agatur II, 5, 4: et hercule praelectio quae in hoc adhibetur ut facile atque distincte pueri scripta oculis sequantur, ... multum infra rhetoris officium existimanda est'. Atque ex hoc quoque loco apparet Quintiliani aetate volgo non distincta fuisse scriptorum exemplaria. Nihilo minus iam Ciceronis temporibus notae distinctionis apud Romanos in usu erant: id satis apparet ex Cic. de orat. III, 44, 173: 'interspirationis enim, non defatigationis nostrae neque librariorum notis, sed verborum et sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt (sc. veteres rhetores Graeci cf.

---

tinorum. De Graecorum distinctione idem postea fusius disputavit in Symb. ad hist. gramm. Graec. et Lat. (Halae 1859) p. 506—570.

12) Quintilianum non de notis distinguendi loqui olim etiam Schmidtius putaverat, postea vero Symb. p. 517 aliter iudicavit. — De sermonis, non de scripti ut ait distinctione Quintilianum dicere iam perspexit I. Lipsius cf. epist. sel. chil. centur. misc. ep. 39, qua de veterum distinctione disputat, sed minime ille omnium quae ad eam rem pertinent ratione habita.

Arist. rhet. III, 8 p. 123, 26 Bk.)' ubi 'interpunctas' sublata notarum cogitatione de solo discribendo ac digerendo intellegendum est cf. Or. 16, 53 'flumen aliis verborum volubilitasque cordi est qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam. distincta alios et interpuncta intervalla morae respirationesque delectant' et de or. III, 46, 181 'clausulas atque interpuncta verborum animae interclusio atque angustiae spiritus attulerunt' et II, 80, 328 'sed et festivitatem habet narratio distincta personis et interpuncta sermonibus' cet. [13]). Iam si quis illo loco Ciceronem tantum veterum rhetorum Graecorum sententiam afferre opposuerit — quamquam hoc non multum valet, cum si apud Romanos librariorum notae in usu non fuissent id aliquo modo Ciceroni fuerit indicandum — ei omnis dubitatio abicienda erit, si eorum rationem habuerit quae or. 68, 228 leguntur: 'hanc igitur sive compositionem sive perfectionem sive numerum vocari placet, adhibere necesse est, si ornate velis dicere, non solum, quod ait Aristoteles (rhet. III, 8) et Theophrastus, ne infinite feratur ut flumen oratio, quae non aut spiritu pronuntiantis aut interductu librarii, sed numero coacta debet insistere, verum etiam quod multo maiorem habent apta uim quam soluta'. Contra quae Cicero pro Mur. 11, 25 de iuris civilis scientia dicit: 'dignitas in tam tenui scientia non potest esse. res enim sunt parvae, prope in singulis litteris atque interpunctionibus vorborum occupatae', patet ad verborum discretionem pertinere: nimirum in iuris civilis disciplina Cicero ait saepe permultum interesse quomodo ex litterarum numero quodam punctis interpositis efficiantur vocabula, quod optime Halmius inlustravit conlatis Quint. VII, 9, 5 et Fortun. rhet. I, 24. Quod autem Cicero notarum distinctionis mentionem facit, Quintiliani aetate ea exemplaria, quibus pueri in scholis grammaticorum uteban-

13) Parum recte Bakium verba 'interpuncta sermonibus' in 'interpuncta sermonis' mutari velle puto. — Cum hac orationis interpunctione morae fiant, Quintilianus IX, 4, 108 moras ipsas appellavit interpuncta: 'sicut illud *ore excipere liceret* (Cic. Verr. 5, 45, 118) si iungas lascivi carminis est, sed interpunctis quibusdam et tribus quasi initiis fit plenum auctoritatis'; similiter Cicero de or. II, 41, 177 loquitur de interpunctis argumentorum — hanc enim scripturam veram puto — quae plerumque occulenda sint.

tur, non erant distincta, id facile apparet quo modo sit explicandum: ea tantum exemplaria quae maiore cum cura confecta erant, distincta erant, quod etiam ad Graecos pertinere verisimile est. Relinquebatur igitur distinctio cum apud Graecos, quos ante Aristotelis aetatem omnino distinctione usos esse demonstrari nequit, tum apud Latinos fere grammaticis scriptores edentibus. Quod Latini distinguere Graeci appellant *στίζειν* vel *διαστίζειν*: nimirum Romani ut totam rem a Graecis transtulerunt, ita verbum *διαστίζειν* accurate verterunt. Iam veteres grammatici Graeci tres habebant distinctiones vel *στιγμάς*: apud Dion. Thr. p. 630 Bk. haec legimns: *στιγμαί εἰσι τρεῖς τελεία μέση ὑποστιγμή· καὶ ἡ μὲν τελεία στιγμή ἐστι διανοίας ἀπηρτισμένης σημεῖον, μέση δὲ σημεῖον πνεύματος ἕνεκεν παραλαμβανόμενον, ὑποστιγμὴ δὲ διανοίας μηδέπω ἀπηρτισμένης ἀλλ' ἔτι ἐνδεούσης σημεῖον.* Cum autem spiritus interclusio nihil pertineat ad sententiam, proprie duae tantum distinctiones fuerunt. Ac diserte *μέσην* esse *ἀληθῆ στιγμήν* negat schol. p. 758 sq., e cuius verbis *οὐχ ὡς ἄπειρος δὲ ὑπάρχων ὁ Διονύσιος τούτων εἴρηκεν αὐτὴν στιγμὴν ἀλλ' ὡς ἑτέρων τινῶν νομιζόντων αὐτὴν εἶναι στιγμήν* colligi potest fuisse qui *μέσῃ* ut vera distinctione nterentur, quos minus recte scholiastam iam Dionysi Thracis temporibus attribuisse recte mihi videtur. dixisse Schmidtius l. c. p. 517. Adnumerabatur autem *μέση στιγμαῖς* quia, cum ea indicaretur ubi respirari posset, certe similem vim habebat. Ceterum num ipse Dionysius Thrax trium distinctionum mentionem fecerit, cum sequantur verba: *τίνι διαφέρει στιγμὴ ὑποστιγμῆς; χρόνῳ· ἐν μὲν γὰρ τῇ στιγμῇ πολὺ τὸ διάστημα, ἐν δὲ τῇ ὑποστιγμῇ παντελῶς ὀλίγον*, in quibus mediae distinctionis nulla habetur ratio, videtur posse dubitari. Iam cum media distinctio pronuntiationis gratia sit posita, non est cur miremur (cf. Schmidtius p. 518) nusquam in scholiis nostris, quae potissimum sententiam explanant, huius distinctionis fieri mentionem. Neque magis media distinctio commemorari videtur a scholiastis Latinis. Hi ne subdistinctionis quidem — sic Latini appellant *ὑποστιγμήν* — saepe mentionem faciunt (cf. Don. ad Ad. II, 3, 3. II, 3, 6. III, 3, 28. Andr. I, 1, 28. Serv. ad ecl. III, 29. Aen. II, 391. II, 604. X, 173. Pseudoascon. ad Cic. Verr. II,

13, 34 al.), sed non raro universe de distinctione et distinguendo loountur, sive de subdistinctione sive de distinctione finali vel distinctione — nam ut Graeci στιγμὴν τελείαν saepe simpliciter στιγμήν appellant, ita Latini distinctionem finalem simpliciter distinctionem — cogitandum est; sic Donatus satis saepe dicit de incerta vel obscura distinctione cf. ad Ad. I, 1, 20. II, 2, 5. III, 2, 23. III, 2, 47. III, 4, 35. IV, 5, 59. IV, 7, 22. IV, 3, 4, atque in Vergili scholiis Veronensibus nusquam subdistinctio commemoratur, cum de distinctione agatur ad Aen. II, 103. IV, 184. IX, 390. IX, 397. X, 566, neque magis commemoratur in scholiis Bernensibus, cum ad distinctionem spectent adnotationes ad ecl. II, 20. X, 31. Georg. II, 45. IV, 345. IV, 380. Ubi vero data opera Latini de distinctione tractant — cf. Diom. p. 437, 9, Don. p. 372, 14, Dosith. p. 11 K., Mar. Vict. I, 4, 92 G, p. 2467 P., Max. Vict. p. 1942 P., Serv. in Don. p. 427, 36, Serg. in Don. p. 533, 28, Pomp. p. 133, 4, Cledon. p. 34, 1, Cassiod. de inst. div. litt. c. 15 II p. 548, 2 Gar., Isid. origg. I c. 19 — non neglegitur media distinctio [14]. Ceterum haec grammaticorum Latinorum inferioris aetatis praecepta neque satis dilucida sunt et satis inter se discrepant; atque vereor ne longius a proposito sim aberraturus, si de eis accuratius exponere in animum induxero. — Etiam in subscriptionibus quibusdam distinctio scriptorum cum emendatione coniungitur cf. O. Iahnius l. c. p. 347. 348. 370. Frontonis loci (epp. ad am. II, 2) iterum me mentionem facere vix opus est [15].

14) Unus Marius Victorinus eam videtur neglegere, sed duae ἁπλαῖ aversae vel sicilici, quos afferre videtur, in qua re a ceteris omnibus recedit, qui tantum punctum variis locis positum notam distinctionis agnoscunt, nihil nisi mediae distinctionis notae duae videntur esse.

15) Quibus veterum locis nisus Bergkius l. c. p. 122 in verbo διαστίζειν ante omnia etiam accentuum positionis notionem contineri dixerit, nescio: nullum enim locum reperire potui ubi διαστίζειν ad accentuum positionem pertineret, simplex στίζειν nonnunquam vi magis generali de accentibus dici non ignoro cf. Schmidtius l. c. p. 515 adn. qui affert schol. ADV Hom. B, 316 et Io. Alex. τον. παρ. p. 7, 3. 28, 22. Sed ex hac re illud quod Bergkius posuit minime potest effici — Ceterum etiam distinguere de accentuum positione dicitur a Pompeio p. 132, 1: 'quod si vis codicem distinguere ita distingue. quando vis acutum accentum facere' cet. Iam

Transeo ad adnotandi officium. Adnotandi verbo quid Suetonius voluisset significare, ante repertum a Th. Mommseno anecdotum Parisinum quod vocatur, quod primum editum est a Th. Bergkio diar. ant. stud. 1845 partic. 11, satis erat obscurum. Anecdoto illo invento quo Latinos quoque grammaticos notas criticas scriptoribus apposuisse patefactum est, Suetoni quoque loco nova quaedam lux adfulsit. Quamquam etiam postea de vi verbi adnotandi dubitatum est: duplici enim modo est explicatum. Mommsenus in commentatione quam de opusculo de notis antiquis quod Valeri Probi esse dicitur conscripsit, quae inserta est actis soc. litt. Saxon. 1853, p. 130 adnotandi verbum ad solam criticarum notarum appositionem rettulit, ita ut pars grammaticae illa, cui soli Probus fuisset deditus, contineretur in editionibus scriptorum criticis. Contra Riesius in comm. de comm. Verg. p. 4 (cf. etiam p. 9) adnotare etiam ad enarrationem spectare ait. Ab hac sententia quae probata est O. Ribbeckio ann. philol. 1863 p. 351, non ita valde recesserat Bergkius qui l. c. p. 123 sq. (cf. p. 130 sq.) Probum Berytium putavit non modo apposuisse criticas notas, sed etiam vel breviter vel fusius explicasse; similiter etiam O. Iahnius l. c. p. 366 iudicaverat. Fusius de verbi adnotandi apud grammaticos significatione disputavit Riesius p. 2 sq., sed ille diversa miscuit. Nam cum Suetoni loco agatur de scriptoribus vel libris adnotandis prorsus dissimiles sunt loci illi satis multi, quibus aliquis quaedam adnotasse in loco aliquo dicitur ut schol. Ver. ad Aen. IX, 369 'hoc loco adnotant Probus et Sulpicius' cet., atque ei ubi res quae-

---

accentuum notis quarum positioni grammaticos Graecos constat non mediocrem operam navasse, fere non videntur usi esse Latini, quia Latini sermonis accentus regulae multo sunt simpliciores. Saepius quidem veint apud Servium agitur de accentibus verborum cum Graecorum tum Latinorum, sed ne cum Wollenbergio (de Probo carm. Verg. editore, Berolini 1857, p. 10) ex talibus locis qualis est ad Aen. I, 32: 'maria omnia circum] in fine accentum ponimus contra morem Latinum; sed corruptio hoc facit. namque praepositio postposita corrupta est sine dubio' accentuum notas positas esse efficiamus, vel ea obstant quae ad Aen. XI, 666 Servius adnotavit: 'Euneum, quia Latina est declinatio, ideo ne accipit accentum. nam Statius (Theb. VI, 343) quia Graece declinavit Graecum accentum posuit dicens' cet.

dam quae memorantur inducuntur locutione 'adnotandum' (cf. schol. Ver. ad Aen. X, 564 'adnotandum qnod in catalogo huius non meminit', Ascon. in comm. in Cic. Cornel. p. 74 Or. 'hoc solum hic adnotandum hunc esse L. Sisennam' cet., Serv. Cassell. ad Aen. I, 21 'in Probi adpuncti sunt et adnotandum' cet.; eodem modo quo saepissime apud Servinm legimns 'sane sciendum' 'et sciendum' similia); neqne magis conferri possunt ei loci ubi adnotare ita invenitur ut accedat ad significationem animadvertendi (cf. Serv. ad Aen. XII, 144 'animadvertendum autem' cet. et Prob. p. 12, 29 K. 'in quo animadvertendum quod' cet.) vel attendendi (cf. Asp. p. 111, 10. 112, 26. 113, 11. 29 K. et schol. Bern. ad ge. I, 514) ut schol. Ver. ad Aen. IX, 402 ergo hic adnotemus adfectatam structuram' cf. ad ecl. III, 30 et Aen. X, 63, Asp. p. 114, 7 K., schol. Bern. ad ge. II, 207 [16]).

Hi igitur loci atqne similes, nbi obiectum prorsus diversum invenimus, nullo modo possunt comparari. Aptius duo Plini minoris loci conferri possunt, quos attulit quidem Riesius p. 3 adn. 1, sed non ita ut par erat perpendit. Epp. VII, 17, 7 legimns: 'nec vero ego dum recito laudari, sed dum legor cupio. itaque nullum emendandi genus omitto. ac primnm quae scripsi mecum ipse pertracto, deinde dnobus aut tribus lego, mox aliis trado adnotanda notasqne eorum si dubito cum uno rursus aut altero pensito; novissime pluribns recito ac si quid mihi credis tunc acerrime emendo'. Habemus hoc loco prorsus simile obiectum (quae scripsi) atque Suetoni loco (multos scriptores veteres). Atqne qnae hoc looo sit significatio verbi adnotandi, ex verbis 'notasqne eorum ... pensito' satis apparet: nihil aliud adnotare hoc loco est nisi notis insignire; ea qnae editurus sit Plinius dicit se amicis tradere solere nt locos iudicio suo reprehendendos notis appositis insigniant [17]). Epp. IX, 26 praeter

16) Eandem vim verbi σημειοῦσθαι quo Graeci notarum criticarum appositionem significant formae σημείωσαι et σημειωτέον in scholiis Graecis saepissime habent cf. Lehrsius de Arist. stud. Hom. p. 14 ed. II. — Quod adnotandi verbum et animadvertendi et commemorandi vim habet, idem cadit in nostrum 'bemerken'.

17) Similem operam Ciceroni Atticum praestitisse apparet ex epp. ad Att. XV, 14, 4 'his litteris scriptis me ad συντάξεις dedi quae quidem ve-

hanc adnotandi rationem alia etiam commemoratur: initio huius epistulae Plinius Luperco exponit oratori non per plana eundum esse, sed eum debere erigi attolli, interdum etiam effervescere efferri ac saepe accedere ad praeceps, deinde § 5 sic pergit: 'haec quia visus es mihi in scriptis meis adnotasse quaedam ut tumida quae ego sublimia, ut inproba quae ego audentia, ut nimia quae ego plena arbitrabar. plurimum autem refert reprehendenda adnotes an insignia. omnis enim advertit quod eminet et extat, sed acri intentione diiudicandum est inmodicum sit an grande, altum an enorme'. Quod ad constructionem verbi adnotandi attinet, hoc loco habemus obiectum non idem quidem quod priore loco, at valde simile: non libri, sed loci hoc loco adnotari dicuntur; idem invenimus in fine epistulae § 13: 'expecto ut quaedam ex hac epistula ut illud *gubernacula gemunt* et *dis maris proximus* (§ 4) isdem notis quibus ea de quibus scribo confodias. intellego enim me dum veniam prioribus peto in illa ipsa quae adnotaveras incidisse. sed confodias licet, dum modo iam nunc destines diem quo et de illis et de his coram exigere possimus'. Cum verba 'isdem notis quibus ea de quibus scribo confodias' apertum sit idem valere atque 'eodem modo adnotes quo' cet., tota epistula apparet adnotare rursus nihil aliud valere nisi notis insignire. Atque eodem modo explicaverim III, 13, 5 'adnota quae putaveris corrigenda' et VII, 20, 1 'Librum tuum legi et quam diligentissime potui adnotavi quae commutanda, quae eximenda arbitrarer .... nunc a te librum meum cum adnotationibus tuis exspecto': utroque enim loco de eadem re atque VII, 17 agitur. Sed V, 12, 2 'ipse praeterea quaedam emendanda adnotavi' utrum 'adnotavi' intellegendum sit 'notis insignivi' an 'animadverti' (cf. III, 16, 1. VII, 20, 6. VII, 29, 2. VIII, 6, 1), non diiudicaverim. Iam I, 8, 3 'memini quidem te iam quaedam adnotasse', cum sequantur verba 'sed generaliter: ideo nunc

---

reor ne miniata cerula tua pluribus locis notandae sint: ita sum μετέωρος et magnis cogitationibus impeditus' et XVI, 11, 1 'nostrum opus tibi probari laetor ex quo ἄνθη (cf. 'notentur eclogarii' XVI, 2, 6) ipsa posuisti quae mihi florentiora sunt visa tuo iudicio. cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam'. Ceterum Plini amici libros eius saepius etiam emendarunt i. e. perpoliverunt, cf. I, 2. I, 8. II, 5.

rogo ut non tantum universitati eius (sermonis) attendas, verum etiam particulas qua soles lima persequaris' (cf. III, 15, 5. IV, 20, 1. V, 12, 4. IX, 4, 2), apparet non de notis appositis, sed de litterarum significationibus cogitandum esse. Quae III, 5, 10 sq. Plinius de avunculo suo tradit: 'post cibum saepe, quem interdiu levem et facilem veterum more sumebat, aestate si quid otii iacebat in sole, liber legebatur, adnotabat excerpebatque, nihil enim legit quod non excerperet' et paullo post: 'super hanc (cenam) liber legebatur, adnotabatur et quidem cursim', possit aliquis existimare adsimulanda esse Senecae loco epp. 6, 5, cuius loci etiam Riesius p. 3 adn. 1 mentionem fecit: 'mittam igitur ipsos tibi libros et ne multum operae inpendas, dum passim profutura sectaris, inponam notas ut ad ipsa protinus quae probo et miror accedas', ubi invenimus notarum apponendarum rationem quae ad res, non ad orationem pertineat; sed rectius utroque loco adnotare fere ad significationem excerpendi accedere statuemus ut sit 'memorabilia in commentarium referre' ('sich Notizen machen') cf. Gell. praef. 2 'usi autem sumus ordine rerum fortuito quem antea in excerpendo feceramus. nam proinde ut librum quemque in manus ceperam seu Graecum seu Latinum vel quid memoratu dignum audieram, ita quae libitum erat cuius generis cumque erant indistincte atque promisce annotabam' cet. Contra VII, 12, qua epistula agitur de libello quem Minicius pro amico a Plinio exegerat in quo Plinius nonnulla sonantiora atque elatiora posuerat quae Minicium putat detracturum esse, § 3 ubi legimus: 'quod si feceris, boni consulam. postea enim illis ex aliqua occasione ut meis utar et beneficio fastidi tui ipse laudabor, ut in eo quod adnotatum invenies et suprascripto aliter explicitum' cet., 'adnotatum' dubitari nequit quin intellegendum sit 'nota insignitum': quo facilius locus deprehenderetur, Plinius ad eum notam apposuerat cf. Cic. ad Att. VIII, 2, 4 'id ex Pompei litteris cognosces; in quibus animadvertito illum locum ubi erit διπλῆ', quem locum etiam Riesius attulit p. 3 adn. 1.

Eae quas apud Plinium invenimus librorum vel locorum adnotationes non in volgus emanarunt, alia ratio fuit eius adnotationis quam commemorat Fronto epp. ad am. II, 2 cuius loci iam

bis mentionem feci: Volumnio Quadrato Fronto haec scribit: 'Ciceronianos (sc. libellos) emendatos et distinctos habebis, adnotatos a me leges ipse; in volgus enim eos exire qnare nolim, scribam diligentius'. Apparet libros ea ratione de qua Fronto loquitur adnotatos plerumque in volgus emanasse. Iam ne cum Bergkio l. c. p. 120 hunc locum ad grammaticam adnotationem referamus, de qua quia prorsus eodem modo ac loco Suetoniano coniunguntur verba emendandi distingnendi adnotandi sane unusquisqne primo cogitabit, cnm illud obstat quod haec res in Frontonem rhetorem vix cadere videtur, tum illud quod si grammaticorum more Ciceronis orationes Frontonem putamus adnotasse, sive grammatica adnotatio continebatur sola appositione notarum criticarum sive appositione et explicatione, vix videtur posse explicari cur eas in volgus exire nolnerit. Itaqne potins cum O. Iahnio l. c. p. 366 Frontonis loco adnotare in primis ad laudationis et vituperationis notas referendum videtur, quae adnotatio magis rhetorum quam grammaticorum fuit. Tali autem Ciceronis orationum adnotatione Fronto antiquitati sermonis nimium deditus facile multos offendere poterat. Etiam hanc rhetoricam adnotationem ad artem qnandam fuisse revocatam iam cognoscere licet ex anecdoto Cavensi de notis antiqnorum quod a Reifferscheidio editum atque inlustratum est mus. Rhen. vol. 23 1868 p. 127 sqq. Has autem notas rhetoricas non modo appositas, sed explicatas etiam atqne confirmatas esse cnm neque in ipso anecdoti Cavensis notarum indice neqne in duobus epigrammatis praemissis nllo modo sit significatum, non puto recte Iahnium statuisse Frontonis loco adnotare etiam ad explicationem illarum notarum spectare.

Haec locutionis 'adnotare scriptorem vel locum' exempla non ad grammaticorum consuetudinem pertinentia ideo collegi, quia in pancitate eorum locorum, ubi illa locutio ad grammaticorum consuetudinem spectat, non nihil mihi interesse visum est, nt sciretur qua ratione alibi inveniretur. Ubique antem repperimus significationem notis insigniendi; explicationis notarum appositarum nusqnam vestigium ullum deprehendimus. Iam nt ad grammaticam vim transeam, Riesius unum attulit locum ubi non est dubium quin de enarrando dicatur: in Probi qui fertur

commentario ad ecl. VI, 31 p. 15, 24 K. legimus: 'Aemilius Asper cum hunc locum adnotaret, sic ait: *haec membra naturae sic solet iungere ut in tria dividat, nam et alibi*' cet. Itaque concedendum est adnotare scriptorem posse idem fere valere atque commentarios in scriptorem componere, sed adnotare scriptorem simul et notas criticas ei apponere et eum enarrare significare posse id ex hoc loco colligi nequit. Contra non est dubium quin ad notarum appositionem spectet adnotandi verbum conclamato illo anecdoti Parisini loco: 'his solis (sc. notis) in adnotationibus Ennii .... usi sunt' cet., quae verba patet nihil aliud valere nisi 'cum Ennio et ceteris notas apponerent, his solis una et viginti notis usi sunt', quae explicatio ipsis verbis quae secuntur diserte infertur: 'et postremo Probus qui illas in Vergilio cet. apposuit'. Explanationis scriptorum aut explicationis notarum neque hoc loco neque usquam in toto anecdoto mentio fit. Ter autem praeterea adnotandi verbum in hoc anecdoto invenitur: p. 139, 13 Reiff. legimus: 'diplen aperisticton primus Leagoras Syracusanus apposuit Homericis versibus ad separationem Olympi a caelo, proprie Olympum ab eo pro monte positum adnotans, nusquam pro caelo quod saepe οὐρανὸν εὐρὺν dicat et μακρὸν Ὄλυμπον neque e contrario epitheta permutet. ponebat autem tam ad montis significationes quam ad caeli: utrimque manifestatur (manifestabatur?) voluntas eius', ubi 'adnotans' significatione paullum flexa videtur dictum esse pro 'nota apposita significans'. Duobus reliquis locis, p. 139, 19 'usus est ea in multis Aristarchus, nunc ea quae praeter consuetudinem tam vitae nostrae quam ipsius poetae apud eum invenirentur adnotans, nunc' cet. et p. 141, 1: 'chi et rho. haec sola ex voluntate uniuscuiusque ad aliquid adnotandum ponitur', de significatione notis insigniendi omnino dubitari nequit. Etiam in duabus subscriptionibus scriptorum Latinorum classicorum adnotandi verbum reperimus: Flavius Iulius Tryphonianus Sabinus in subscriptione Persi dicit: 'temptavi emendare sine antigrapho meum (sc. exemplum) et adnotavi', cf. O. Iahn. l. c. p. 332 sqq. idem in subscriptione codicis Noni Montepessulani dicit: 'legi meum ... prout potui sine magistro emendans adnotavi' cf. O. Iahn. l. c. p. 333 sqq. Quid his locis 'exemplum meum adnotavi' sibi velit,

difficile dictu est neque certi quidquam statuere ausus est Iahnius p. 370. Sed de criticis notis nullo pacto cogitari posse puto, cum harum notarum appositio non cadat in initium saeculi p. Chr. quinti; neque de rhetoricis notis apte videtur posse cogitari; nihil igitur relinqui videtur nisi ut Sabinum scholia quaedam margini adspersisse statuamus sive ea apposuit quae etiamnunc in codicibus qui illas subscriptiones habent leguntur perquam exigua atque ieiuna, quae tamen ab homine adulescente magistri opera non adiuto et ab illius aetatis indole non videntur aliena, cf. Iahnius l. c. sive alia quae postea non sunt descripta in quorumque locum postea illa sunt substituta. Iam dicendum est de subscriptione quam Rusticus diaconus, cuius iam supra mentio est facta, primae actioni concili Chalcedonensis subiecit, quam Steph. Baluzius hoc modo restituit (cf. Mans. sacr. concil. ampl. coll. VII p. 707 et Iahn. l. c. p. 370 adn.): 'explicit prima cognitio Chalcedonensis concilii. Finivimus emendantes et conferentes apud Kalxedonam feria IV indictione XIII XV Kal. April. Rusticus per gratiam Dei diaconus sanctae ecclesiae Romanae contuli annotavi distinxi Deo gratias'. Ne hoc quidem loco adnotare de notarum criticarum appositione potest intellegi: nullae enim reperiuntur, at inveniuntur margini appositae adnotationes cum exegeticae, quae ad rerum enarrationem potissimum pertinent, tum maxime criticae: nimirum magnum exemplarium et Latinorum et Graecorum numerum Rusticus contraxerat eisque conlatis — discrepabant autem multum inter se propter neglegentiam notariorum qui acta concili notis exceperant, cf. Steph. Baluzius ap. Mansium VII p. 660 — non modo verba emendare atque distinguere studuerat, verum etiam discrepantiam exemplarium enotaverat.

Hos locos si consideramus — alios in quibus adnotare scriptorem librum locum similia reperirentur, equidem non inveni [18]) — adnotationem nusquam videmus et appositionem

18) De differentia verborum notandi et adnotandi in Frontonis diff. p. 2200 P. p. 282 Nieb., quem locum mihi indicavit Hermannus Usenerus, haec leguntur: 'notat vel locum quis vel personam vel noxiam, adnotat qui notae quid adiicit'. Verba 'adnotat qui notae quid adiicit' intellegenda puto 'adnotat qui notam quam adiicit'; numquam enim adnotare ita inveni-

notarum et enarrationem scriptoris aut certe explicationem notarum comprehendere, dici autem cum de enarratione tum de notarum appositione sola. Iam cum in anecdoto Parisino inveniamus Probum scriptores adnotantem i. e. notas eis apponentem ('et postremo Probus qui illas [notas] in Vergilio et Horatio et Lucretio apposuit ut Homero Aristarchus') atque eodem modo apud Suetonium habeamus Probum scriptores adnotantem, nihil autem sit cur dubitemus Suetonianum Probum et Probum anecdoti eundem putare — de difficultate quae in scriptoribus tractatis inesse videtur infra dicendum erit —, Suetoni quoque

tur ut ad explicationum notae alicuius spectet. Notare hoc loco circumscribi videtur significatione reprehendendi: ita ut statuamus, faciunt verba 'vel personam vel noxiam'. Sic satis saepe hoc verbo Servius de criticis qnos vocat utitur: hos ait notare vel Vergilium, cf. ad Aen. I, 71. X, 157. 861. ecl. II, 65, vel locum aliqnem aut locutionem velut ad Aen. II, 668. IX, 82. XI, 24. 188 (cf. culpare Vergilium Aen. VIII, 291. XII, 83, transitum IX, 1), vel versum aliquem cf. ad Aen. VIII, 731 'hunc versnm notant critici quasi superfluo et inutiliter additum nec convenientem gravitati eius, namque est magis neotericus', ubi ne quis non tam de reprehensione quam de damnatione i. e. de athetesi cogitet, conferat Pseudoasc. in Cic. div. In Caecil. § 15 'ut oculis iudicare possitis] hoc quidam leviter a Cicerone dictum et neoterice putant, sed aptum est asseverationi'; contra de damnatione non est dubium quin cogitandum sit Quint. I, 4, 3 'mixtum his omnibus iudicium est, quo quidem ita severe sunt usi veteres grammatici ut non versus modo censoria quadam virgula notare . . . permiserint sibi' i. e. censoria quadam virgula (obelo) apposita locis movendos esse indicare. Alia notandi verbi significatio in scholiis frequens, quam etiam in adnotandi verbo saepe inesse supra vidimus, est animadvertendi vel attendendi cf. schol. Bern. ad ecl. V, 21. VI, 70. ge. I, 210. II, 12. II, 98 al. Interdum notare ita invenitur ut potius adnotandi verbum exspectemus cf. Cic. ad Att. XV, 14, 4 'quae (συντάξεις) vereor ne miniata cerula tua pluribus locis notandae sint' et XVI, 2, 6 'custodies igitur (libros de gloria), ut soles, sed notentur eclogarii, quos Salvius bonos auditores nactus in convivio dumtaxat legat'. In anecdoti Parisini verbis (p. 138, 16 Reiff) 'unde evenit ut postea prudentiores viri quorum summus in hac re fuit Aristarchus quotiens inprobarent versus quasi aut malos aut non Homericos obelum potissime notandum existimarent' parum recte mihi A Nauckius lex. Vindob. p. 279 videtur scripsisse, 'obelo potissime notandos', nam codicis verba 'obelum potissime notandum' mihi videntur posse intellegi 'obeli potissimum figuram appingendam', ut Dosith. p. 12, 6 legimus: 'nomen (litterae) est quo appellatur, figura qua notatur, potestas qua valet' cf. Diom. p. 421, 29 et Prob. Inst. p. 49, 1.

loco adnotare ad notarum criticarum appositionem eamque solam spectare videtur statuendum. Atque quid tandem impedit quominus Probum Berytium tantum notas scriptoribus apposuisse ac non vel has notas etiam explicasse vel etiam totos scriptores iustis commentariis enarrasse putemus? Ceteros grammaticos Latinos quorum mentio fit in anecdoto Parisino nihil aliud quam notas apposuisse scriptoribus consentiunt Bergkius l. c. p. 122 et Riesius p. 2, cur idem de Probo statui non licet? Quid? Zenodotus Ephesius num frequentissimorum obelorum suorum commentariis rationem reddidit? Quid? Aristophanes Byzantinus num notas suas commentariis explicavit? Quid? ipse Aristarchus, quicum Probus in anecdoto confertur, num commentarios suos Homericos arcte applicavit ad notas quas apposuerat carminibus Homericis, aut etiam has tantum explicasse satis habuit? Quod si fuisset, cum facillima tum prorsus supervacanea fuisset opera Aristonici. Quod cum grammaticorum Alexandrinorum scriptorum adnotationes, quippe quae hominibus doctis, non indoctis destinatae essent, aut explicationibus omnino caruerint aut ita explicatae sint, ut in magna aliarum rerum copia earum haberetur ratio, ut videtur, ne nominatis quidem notis ipsis, ita ut nulla ratio arctior intercederet inter adnotationes et commentarios [19]), Probum Berytium nihil

19) Quomodo ad adnotationem scriptorum commentarii applicati essent, ex Cassiodori in psalterium commentariis cognosci posse putavit Reifferscheidius l. c. p. 133. In eodem enim codice Cavensi, ex quo indicem illum notarum rhetoricarum de quo supra dixi protraxit, Reifferscheidius invenit indicem notarum ut statim apparet ex libri ecclesiastici praefatione desumptum; eundem autem indicem Cassiodori in psalterium commentariis in codicibus repperit praemissum atque per totos commentarios eas notas usurpatas quarum vis ac significatio in praefatione illa erat indicata. Sed cum in praefatione Cassiodorius dicat: 'diversas notas more maiorum certis locis aestimavimus affigendas. has cum explanationibus suis subter adiunximus ut quidquid lector voluerit inquirere per similitudines earum sine aliqua difficultate debeat invenire', cum habeamus adnotationem commentariorum, non adnotationi psalteri applicatos commentarios, id est habeamus tantum librum aliquem adnotatum, nullo pacto Reifferscheidi sententiam probari posse apparet; atque rectissime ipse Reifferscheidius has notas quae tantum ad significandam naturam rerum de quibus agitur pertinent tamquam indices esse ait.

aliud quam notas apposuisse scriptoribus mirari non possumus.

Ad conprobandam eam de Probi Berytii adnotatione sententiam, quam Mommsenum secutus proposui, ea quae apud Suetonium secuntur permultum videntur conferre. Dicendum enim iam est de verbis 'soli huic nec ulli praeterea grammaticae parti deditus', quae mihi parum videntur considerasse ei qui verbum adnotandi simul et ad notarum appositionem et ad enarrationem spectare putaverunt. Nam cum his ea grammaticae pars quae continebatur in emendando distinguendo adnotando necessario intellegenda sit universa poetarum et scriptorum pertractatio — alia enim notione illi tria illa officia conprehendere non possunt —, scire cupiam, qnaenam fuerint plures illae reliquae grammaticae partes; plures enim fuisse propter verba 'soli huic nec ulli praeterea' prorsus est necessarium. Poetarum vel auctorum enarratio pars grammaticae est Quintiliano (I, 4, 1 sq. I, 9, 1) sed quot praeterea partes agnoscit? unam loqnendi rationem: hanc methodicen, illam historicen ait vocari. Tritam igitur hanc divisionem Romanis fuisse apparet, atque reperimus eam etiam: Diom. p. 426, 15 'grammaticae partes sunt duae: altera quae vocatur exegetice, altera horistice. exegetice est enarrativa quae pertinet ad officia lectionis: horistice est finitiva quae praecepta demonstrat, cuius species sunt hae, partes orationis vitia virtutesque'; Mar. Vict. I, 1, 4 sq. G. p. 2450 P. 'grammatica autem ars quae est? spectativa orationis et poematis .... huius plerique quot partes tradiderunt? duas . quas? ἐξηγητικὴν atque ὁριστικήν'; Max. Vict. p. 271 L. p. 1937 P. 'grammatica est scientia interpretandi poetas — in cod. Goth. addita sunt verba 'atque historias' — et recte loquendi scribendiqne ratio'; Serg. in Don. p. 486, 15 'ars grammatica praecipue consistit in intellectu poetarum et in recte scribendi loquendive ratione'; Dosith. p. 7, 1 K. 'Ars grammatica est scientia emendati sermonis in loquendo et scribendo poematumque ac lectionis prudens praeceptum'. Neque enim puto quemquam esse existimaturum tribus ultimis locis in tres partes, poetarum pertractationem, recte loquendi rationem, recte scribendi scientiam, grammaticam dividi, quamquam sic grammaticam dividit Marius Victorinus l. c.: 'haec

(grammatica) quot modis discernitur? tribus. quibus? intellectu poetarum et recte loquendi scribendique scientia'. Utique autem de his tribus partibus Suetonius non magis cogitavit quam de duabus illis aut de tribus partibus in quas Seneca, qui plerumque unum sermonis studium grammaticis adsignat cf. Lehrsius de vocc. *φιλόλογος γραμματικὸς κριτικός* p. 386, epp. 88, 3 grammaticam dividit: 'grammaticus circa curam sermonis versatur et si latius evagari vult, circa historias, iam ut longissime fines suos proferat, circa carmina', quam divisionem ordine partium mutato sequitur etiam Sextus Empirious adv. math. 91 (cf. Steinthalius hist. scient. ling. ap. Graec. et Rom. p. 546 sq.): *τῆς γραμματικῆς τὸ μέν ἐστιν ἱστορικόν, τὸ δὲ τεχνικόν, τὸ δὲ ἰδιαίτερον δι' οὗ τὰ κατὰ τοὺς ποιητὰς καὶ συγγραφεῖς μεθοδεύεται*, atque duplici illi, de qua dixi, adicit Diomedes p. 426, 18: 'tota autem grammatica consistit praecipue intellectu poetarum et scriptorum et historiarum prompta expositione et in recte loquendi scribendique ratione'. De his enim divisionibus ne Suetonium putemus cogitasse, ut mittam ne uni parti de tribus quidem dedito satis convenire verba 'soli huic neo ulli praeterea', obstat non mediocris illa silva observationum sermonis antiqui, quam Probum reliquisse extremo capite Suetonius tradit, propter quam ne si quis potuisse grammaticum sermonis studio non esse deditum sibi persuaserit quidem ullo modo dubitari poterit quin Probus sermonis studio non mediocriter deditus fuerit. Praeterea poetarum vel auctorum pertractatio quae volgo intellegebatur non modo in scriptoribus edendis atque enarrandis versabatur, sed etiam, ut praetermittam iudicium quod possit quispiam cum Quintiliano I, 4, 3 omnibus partibus mixtum esse existimare, utique in legendis scriptoribus, cuius offici grammatici nulla fit apud Suetonium mentio. Angustius poetarum pertractatio valet Cic. de or. I, 42, 187: 'omnia fere quae sunt conclusa nunc artibus dispersa et dissipata quondam fuerunt, ut in musicis numeri et voces et modi; in geometria lineamenta formae intervalla magnitudines; in astrologia caeli conversio ortus obitus motusque siderum; in grammaticis poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus; in hac denique ipsa ratione dicendi excogitare ornare

disponere meminisse agere ignota (?) quondam omnibus et diffusa late videbantur'. Adscripsi totum locum ut appareat dubitari posse num omnino Cicero id egerit ut artem grammaticam via ac ratione divideret: nam quamquam artis rhetoricae quidem divisionem sollemnem significavit, cum dicat 'omnia fere quae' cet., omnes grammaticae qualis tum erat partes ab eo dici antiquitus dispersas ac dissipatas fuisse minime est necesse. Atque quod deest loquendi ratio non tam eo referendum videtur quod Cicero hanc partem grammaticae non agnoverit, quod vix potuit, quam eo quod quo tempore sermonis scientia excoli coepta est non iam dissolutae fuerunt grammaticae partes. Itaque Cicero nihil aliud dicere voluisse videtur nisi alios antiquitus fuisse qui poetarum verba explicarent — eos quos Aristoteles nominat τοὺς ἀρχαίους Ὁμηρικούς cf. Sengebuschius Hom. diss. I p. 207 sq. —, alios qui historias atque fabulas enarrarent — hos historicos appellat Quintilianus II, 1, 4 —, alios qui glossemata i. e. voces minus usitatas (Quint. I, 8, 15. II, 5, 4) interpretarentur (Quint. I, 1, 35) — eos quos Aristarchus τοὺς γλωσσογράφους appellat cf. Sengeb. l. c. p. 52 sq. —, alios denique qui poemata recitarent (τοὺς ῥαψῳδούς) [20].

Iam ut quid ipse statnam indicem, considerandum est grammaticam veterum profectam esse a poetarum interpretatione, loquendi autem scientiam, cum poetae identidem tractarentur atque retractarentur, paullatim subnatam esse: itaque non est mirum velut in Dionysi Thracis artis grammaticae definitione — γραμματική ἐστιν ἐμπειρία τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ λεγομένων — nullam mentionem fieri sermonis scientiae cf. Steinthalius l. c. p. 538. Sed etiam posteriore aetate cum sermonis scientia magis esset exculta permulti in poetarum interpretatione vel unum vel primarium grammaticae officium conlocarunt, neque Graeci modo, sed etiam Latini. Sic Varro cum in libro de grammatica, qui disciplinarum librorum erat primus, grammaticam definiret, nihil aliud quam Dionysi definitionem vertit cf. Wilmannsius de Varr. libris gramm.

20) Video etiam Meierum opusc. II p. 21 iudicare Ciceronem non putandum esse iustas grammaticae partes referre voluisse.

p. 99 [21]); eodem modo Cicero grammaticos interpretes vel explanatores poetarum appellat de divin. I, 18, 34 et I, 51, 116 cf. Lehrsius l. c. p. 387 et O. Iahnius ad Cic. or. 21, 72; denique etiam Cornelius Nepos apud Suet. de gr. et rhett. 4 litteratos proprie appellandos ait poetarum interpretes qui a Graecis grammatici nominentur, similiter autem Suetonium de grammatica iudicasse ex toto loco illo apparet. Cum autem linguae secretioris interpretatio (Quint. I, 1, 35), recte loquendi ratio, ars metrica, denique historiarum expositio non prorsus viderentur posse neclegi, fuerunt qui his rebus id certe tribuerent, ut eas artis grammaticae ita negarent *μέρη*, partes, esse, ut eas *ὄργανα*, quasi instrumenta, esse statuerent: eas enim tantum res partes grammaticae appellabant quae ad ipsam poetarum et scriptorum pertractationem pertinebant, eas vero quae non ad ipsam poetarum et scriptorum pertractationem pertinebant, quamvis necessaria earum cognitio esset grammatico i. e. ei qui poetas et scriptores erat pertractaturus, tantum quasi subsidiarias disciplinas agnoverunt. Hoc puto sibi velle celeberrimam illam grammaticae in quattuor *μέρη* et in quattuor *ὄργανα* divisionem, quae identidem commemoratur in Dionysi artis grammaticae scholiis, cuius auctor ignotus est. Verum cum *τῶν μερῶν* tum *τῶν ὀργάνων* ordinem habemus p. 659, 27 Bk.: *ἢ ὅτι τῆς γραμματικῆς μέρη κυρίως τέσσαρα διορθωτικὸν ἀναγνωστικὸν ἐξηγητικὸν κριτικόν· ὄργανα δέ εἰσι τέσσαρα τὰ περὶ τὴν γραμματικὴν ὄντα γλωσσηματικὸν μετρικὸν τεχνικὸν ἱστορικόν*; verus *τῶν μερῶν* ordo invenitur etiam p. 736, 6 ubi *τῶν ὀργάνων* nulla habetur ratio; *τὸ ἀναγνωστικὸν* praeponitur *τῷ διορθωτικῷ* p. 659, 1 — ne hic quidem commemorantur *τὰ ὄργανα* —; non modo *τὸ ἀναγνωστικὸν* sed etiam *τὸ ἐξηγητικὸν* p. 671, 4, ubi e numero *τῶν ὀργάνων* omittitur *τὸ ἱστορικόν*, p. 683, 15, ubi *τὰ ὄργανα* non commemorantur, p. 728, 32 ubi *τὸ ἱστορικὸν* altero loco, *τὸ τεχνικὸν* tertio, *τὸ μετρικὸν* quarto nominatur, quod aperte falsum est, quoniam arctior ratio intercedebat inter *τὸ γλωσσηματικὸν* et *τὸ τεχνικὸν* et *τὸ μετρικόν*. Partium autem

21) P. 209 adn. Wilmannsius non debebat conferre Diom. p. 426, 18, debebat p. 426, 13.

ordo quem p. 671 683 728 reperimus natus videtur ex divisione illa minime perfecta Dionysi Thracis, cuius duae partes primae sunt ἀνάγνωσις ἐντριβὴς κατὰ προσῳδίαν et ἐξήγησις κατὰ τοὺς ἐνυπάρχοντας ποιητικοὺς τρόπους. Quid quod fuit, qui Dionysi divisionem ortam esse ex altera illa diorthosi in tres partes divisa sibi persuasisset cf. p. 737, 22? Eum enim ordinem quem primo loco posui verum esse iam inde patet, quod priusquam legerentur carmina, in quo negotio grammatici tantum operae conlocabant, ut anagnostarum auxilio uterentur cf. schol. Hom. Z, 511 P, 75, necesse fuit constare de verbis eorum i. e. lectionem antecedere oportuit emendationem vel emendatorum carminum editionem. Hoc utrumque est διορθοῦν, quod verbum non semper ad solam vitiorum emendationem spectat, sed saepe plane ad id quod nos usurpamus recensere. Si quis veterum loquitur de Aristarchi carminum Homericorum διορθώσει, num de sola vitiorum emendatione cogitat an de editione omnibus modis adornata quibus veteres editiones adornare solebant i. e. non emendata tum distinctionibus accentibus spiritibus notis instructa? Apparet autem non magis in divisione illa de sola emendatione cogitari posse, sed τὸ διορθωτικὸν spectare ad edendum atque recensendum. Atque ad hoc διορθωτικὸν μέρος puto spectare Suetoni verba 'soli huic nec ulli praeterea grammaticae parti deditus'. Sed audire mihi videor exprobrantes: At quomodo tu distinctionem et accentuum positionem subicere potes τῷ διορθωτικῷ μέρει? nescisne veteres distinctionem et accentuum positionem potius τῇ ἀναγνώσει subiecisse? nonne iam Dionysius Thrax § 1 primam grammaticae partem appellat ἀνάγνωσιν ἐντριβῆ κατὰ προσῳδίαν? nonne § 2 legimus ἀναγνωστέον καθ' ὑπόκρισιν κατὰ προσῳδίαν κατὰ διαστολήν? Sed ego eius qui grammaticam in quattuor illas partes divisit eisque quattuor instrumenta adiecit, mentem me assequi puto, si accentus spiritus distinctiones quatenus ponebantur pertinuisse statuo ad τὸ διορθωτικὸν μέρος, quatenus secundum eas res legendum erat ad τὸ ἀναγνωστικὸν μέρος, quatenus singulis locis de eis dubitari poterat ad τὸ ἐξηγητικὸν μέρος, quatenus denique via ac ratione de eis disputandum erat ad τὸ τεχνικὸν ὄργανον. Alii fortasse dicent: At inter notas quibus Probum

usum esse constat duae sunt, quae non est dubium quin ad existimanda carmina pertineant, nimirum duae ultimae, ancora superior, quae ponebatur ad aliquod praecipue dictum', et ancora inferior, quae ponebatur 'ad humilius vel inconvenientius quid enuntiatum' (cf. Reifferscheidius mus. Rhen. 23 1868 p. 127). Ne hoc quidem argumentum quidquam valere concedere possum: nam omnia ea mihi videntur ad scriptorum diorthosin pertinuisse quae spectabant ad editiones adornandas, ad quam rem etiam pertinebant notae laudationis atque vituperationis, quamquam in eiusmodi notis apponendis grammatici videntur fuisse multo rhetoribus parciores. Tantum probatio atque confirmatio harum notarum pertinuit ad τὸ κριτικὸν μέρος ut totius reliquae recensionis probatio atque confirmatio ad τὸ ἐξηγητικόν; neque enim magis quam nos veteres artes quas vocamus hermeneuticam et criticam seiungere potuerunt.

At fortasse tota haec divisio grammaticae Romanis erat incognita, cum ita loquatur Suetonius, ut non potuisse non notissimam apud Romanos esse appareat eam quam sequitur divisionem. Supra iam attuli locos scriptorum Latinorum ubi grammatici appellentur poetarum interpretes, ex qua definitione haec grammaticae in μέρη et ὄργανα divisio fluxit. Deinde vestigia quaedam, tenuia quidem, fortasse licet deprehendere apud Quintilianum, qui I, 4, 3 alteram quam statuit grammaticae partem, poetarum enarrationem, sic dividit: 'enarrationem praecedit emendata lectio et mixtum his omnibus iudicium est, quo quidem ita severe sunt usi veteres grammatici ut non versus modo censoria quadam virgula notare et libros qui falso viderentur inscripti tamquam subditos summovere familia permiserint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero': enarratio est ἐξήγησις, emendata lectio est ἀνάγνωσις — nihil enim aliud esse emendatam lectionem nisi rectam pronuntiationem patet ex XI, 3, 30: 'non alia est autem ratio pronuntiationis quam ipsius orationis. nam ut illa emendata dilucida ornata apta esse debet, ita haec quoque emendata erit id est vitio carebit si' cet.; atque satis saepe sic 'emendatus' apud Quintilianum invenitur —, iudicium referri potest ad κρίσιν praeterquam quod Quintilianus ut III, 3, 5 sq. negat rhetoricae par-

tem esse iudicium, inventioni dispositioni elocutioni pronuntiationi permixtum esse statuens (cf. VI, 5, 1), ita ne grammaticae quidem partem iudicium esse concedit, sed omnibus grammaticae partibus cum historicis tum methodicis (cf. I, 7, 30) conexum ac mixtum esse putat. Atque hanc de iudicio sententiam Quintilianus non modo expressit sed etiam confirmavit, nam verba 'quo quidem ... numero' non modo eo spectant, ut severius veteres grammaticos iudicio usos esse demonstretur recentioribus, sed etiam eo, ut iudicium etiam diorthotae opus esse ostendatur; neque enim sine iudicio aut obelos versibus apponi aut utrum libri recte an falso sint inscripti diiudicari posse. Nam etiam id quod nos dicimus criticam altiorem eatenus ad τὸ διορθωτικὸν pertinuit, quatenus libri quos falso ad scriptorem suum referri putabat editori aut omnino non recipiendi aut certe tamquam subditicii inducendi erant; probatio autem atque confirmatio harum damnationum non minus ad τὸ ἐξηγητικὸν pertinuit quam singulorum versuum damnationum. Quod autem diorthosis, praeterquam quod iudicium etiam ad diorthosin pertinere non tam dicit quam significat, Quintilianus nullam habet rationem, eo videtur esse referendum quod de eo grammatico loquitur qui pueros docebat. Sed quid ego haec vestigia tenuia persequor quae omnino esse negaverit forsitan quispiam ac potius Dionysianam divisionem eatenus secutum esse Quintilianum statuerit, quatenus potuerit, cum grammaticen divideret in methodicen et historicen? Praesto sunt certa. De Varrone enim quem in definienda grammatica prorsus Dionysi rationem secutum esse supra commemoravi, Diomedes p. 426, 21 haec tradit: 'grammaticae officia ut adserit Varro constant in partibus quattuor: lectione enarratione emendatione iudicio', quae illi de qua loquor divisioni respondere nemo non videt. Cum hoc Diomedis de Varrone testimonio conferenda sunt quae legimus Max. Vict. p. 272 L. p. 1938 P.: 'grammaticae officia sunt quattuor: lectio enarratio emendatio iudicium' et quae legimus Dosith. p. 7 K.: 'artis grammaticae officium constat partibus quattuor lectione emendatione enarratione iudicio'. Propter plurimum utriusque scriptoris cum Diomede consensum quin arctior ratio inter hos duos locos et Diomedis locum intercedat dubitari nequit: aut ex ipso

Diomede aut ex eius fonte aut ex alio qui eo fonte usus est Maximus Victorinus et Dositheus quattuor illas grammaticae partes petiverunt[22]). Iam ex duplicibus singularum partium definitionibus a Diomede propositis frustra Wilmannsium puto Varronis doctrinae vestigia expiscari conatum esse: nam quis tandem quaeso concedet Varronem enarrationem sic definivisse: 'enarratio est exquisitio per quam unius cuiusque rei qualitatem poeticis glossulis exsolvimus'? neque vocabula recorrectio et exquisitio videntur cadere in Varronis tempora, quorum illud omnino deest in lexicis, alterum tantum ex duobus codicis Iustinianei locis adfertur; praeterea si recta sunt ea quae supra disputavi ne emendationem quidem Varro ita potuit definire ut Wilmannsius eam ab eo definitam esse putat: 'emendatio est recorrectio errorum qui per scripturam dictationemve fiunt'. Dositheus in lectione emendatione iudicio proponit Diomedis definitiones posteriores, in enarratione autem priorem. Definitiones a Maximo Victorino propositas Varronianas esse nemo sibi persuadebit. Atque ei rei quod partium definitiones a Diomede Dositheo Maximo Victorino propositae non sunt Varronianae, optime conveniunt partium ipsarum ordo mutatus et organa praetermissa. Varro enim vix potest dubitari quin neque τὰ ὄργανα omiserit et eundem servaverit partium ordinem quo usus erat auctor divisionis qui non ita multo ante Varronis tempora videtur fuisse. Dosithei ordo partium idem est quem invenimus schol. in Dion.

22) Wilmannsius p. 106 adn. cum quod primus L. Spengelius vidit (cf. ephem. schol. univ. 1832 II. p. 286) singulariter in multis rebus convenire Maximum Victorinum et Diomedem concedat, tamen propter rerum diversam tractationem et diversum ordinem Victorinum e Diomede hausisse non posse credi putat. Dositheus cuius locus Wilmannsium fugit (iam Boeckingius praef. p. X initium artis Dosithei edidit) quamdiu putabatur circiter annum p. Chr. 207 scripsisse, non poterat existimari ipsis Diomedis atque Charisi libris usus esse, quia Charisius et Diomedes non possunt putari altero p. Chr. saeculo fuisse. Sed ut nuper Boucherius in compt. rend. de l'acad. des inscr. et des belles-lettres 1868 p. 270 sqq. exposuit, quam expositionem mihi indicavit Hermannus Usenerus, parum prudenter volgo interpretamentorum scriptor qui se Maximo et Apro consulibus Hygini genealogiam ait descripsisse (p. 65 B.) putatur Dositheus magister cuius ars in codice Sangallensi interpretamentorum librum alterum et initium tertii aliis expositionibus grammaticis interpositis antecedit.

Thr. p. 659, 1; apud Diomedem et Victorinum habemus ordinem eodem modo mutatum quo Graecarum partium ordinem ter in scholiis in Dion. Thr. mutatum esse supra vidimus, quod etiam ex eadem causa videtur repetendum esse: nimirum Varronianam divisionem quam maxime accommodare studuerunt ad Dionysi divisionem, cuius ars per totam antiquitatem scholas obtinuit.

Itaque primam partem grammaticae Varro appellavit emendationem; tribuit igitur emendandi verbo eandem vim latiorem quam grammatici Graeci verbo διορθοῦν. Cum divisionem suam ad quadruplicem operam in scriptoribus conlocatam revocaret, videtur usus esse verbo quod editionis notionem —, 'edere scriptorem' ipsum ante Quintiliani (cf. V, 11, 40) aetatem veteres non videntur dixisse nisi de prima editione — magis exprimeret. Apud Marium Victorinum enim I, 1, 6 G. p. 2451 P. legimus: 'ut Varroni placet ars grammatica quae a nobis litteratura dicitur scientia est eorum quae a poetis historicis oratoribusque dicuntur ex parte maiore. eius praecipua officia sunt quattuor ut ipsi placet scribere legere intellegere probare'. Ritschelius quaestt. Varr. p. 7 hanc officiorum grammaticae descriptionem rettulit ad librum de grammatica, ex alio libro eam divisionem petitam esse ratus de qua Diomedes tradit, nulla explicatione duarum divisionum addita. Wilmannsius vero l. c. p. 101 sqq. non ex diversis Varronis libris has duas divisiones petitas esse putat, sed diversorum grammaticae generum esse divisiones: Diomedis divisionem spectare ad veram grammaticam, Mari Victorini ad γραμματιστικήν, quarum illam Varro appellarit litteraturam, hanc litterationem [23]). Contra quam sententiam cum ad eam probandam Wilmannsio statuendum fuerit Marium Victorinum, cum neglegenter auctorem suum exscriberet, duas confudisse divisiones, Varronem autem tantum duo priora posuisse, vix opus est disputare. Laborat autem Wilmannsi disputatio eo quod duas res prorsus diversas confudit: recte loquendi scribendique rationem de qua locuntur Diom. p. 426, 20, Dosith.

23) Sen. Epp. 88, 20 'quemadmodum prima illa ut antiqui vocabant literatura per quam pueris elementa traduntur non docet liberales artes, sed mox percipiendis locum parat, sic liberales artes non perducunt animum ad virtutem, sed expediunt', in litteraturae vocabulo possit aliquis offendere.

p. 7, 1, Max. Vict. p. 271 L. p. 1937 P., Mar. Vict. I, 1, 5 G. p. 2450 P., Serg. in Don. p. 486, 15, quorum locorum supra ratio est habita, quae pertinet ad grammaticam vel litteraturam, et puerorum scribendi legendique institutionem, de qua agitur Phil. I p. 540 Mang. ot schol. in Dionys. Thr. p. 667, 17 sqq., quos locos Wilmannsius attulit, in qua versatur grammatistica vel litteratio, quam Graeci etiam *γραμματικὴν τὴν ἀτελεστέραν* vel *τὴν μικρὰν* appellant cf. Quint. I, 4, 1: ʻprimus in eo qui scribendi legendique adeptus erit facultatem, grammatici est locus .... haec igitur professio cum brevissime in duas partes dividatur, recte loquendi scientiam et poetarum enarrationem plus habet in recessu quam fronte promittit. nam et scribendi ratio coniuncta cum loquendo (loquendi?) est etʼ cet. Quod Wilmannsius attulit Martianum Capellam, qui III, 230 p. 51 Gr. grammaticam ipsam haec facit loquentem: officium verum meum tunc fuerat docte scribere legereque; nunc etiam illud accessit ut meum sit erudite intellegere probarequeʼ, ita ut duo posteriora quattuor illorum officiorum quae enumerat Marius Victorinus distinguantur a duobus prioribus, mihi quidem non videtur mirum tam serae aetatis scriptorem Varronis verba, quae fortasse non Varrone ipse legendo invenit, male intellexisse atque cum sciret etiam grammatisticam versatam esse in scribendo ac legendo hanc intellegendo ac probando auctam grammaticam factam esse sibi persuasisse. Immo Martiani Capellae locus cum ibi easdem quattuor res inveniamus documento est non ex mera Mari Victorini neglegentia orta esse quattuor grammaticae officia ab eo Varroni tributa. Itaque iam conferendae sunt partes Diomedis lectio enarratio emendatio iudicium, cum Mari Victorini officiis praecipuis, scribendo legendo intellegendo probando, quae etiam cognovit Martianus Capella: probare iudicio respondere ipse concedit Wilmannsius, intellegere etiam ad inferiorem grammaticam spectare nemo puto ei concedet, legere respondet lectioni; restant scribere et emendatio, quae optime conferri poterunt si emendationem intellexerimus editionem atque recensionem. Quod praecipua grammaticae officia Marius Victorinus tradit Varronem appellasse scribere legere intellegere probare, de eis quae grammaticae organis praestanda

essent Varronem cogitasse statuere possumus. Quamquam cum utique non nullo obiecto addito scribere legere intellegere probare Varronem quattuor grammaticae officia posuisse, sed certe poetarum historicorum oratorum libros vel simile aliquid addidisse appareat, cavendum est ne iusto plus e Mari Victorini verbis de Varrone concludamus. Ne illud quidem pro certo adfirmaverim Varronem grammaticae partes et officia distinxisse, quamquam si comparamus verba Diomedis et Mari Victorini haec suspitio nobis non potest non incidere; nam rhetores certe partes et officia, μέρη et ἔργα, fere confuderunt cf. Spengelius mus. Rhen. 18 1862 p. 493. Utique autem si recte disputata sunt quae exposui Mari Victorini de Varrone testimonium Martiani Capellae loco confirmatum eis quae de ordine partium et de vi diorthosis vel emendationis dixi non levi est adiumento.

Quod cum Varro secutus sit illam grammaticae divisionem, de qua quaerimus, cum iam supra viderimus Suetonium videri sequi eam definitionem grammaticae, quae cum hac divisione optime conveniat, perquam est verisimile Suetonium ut in multis rebus ita in hac re premere vestigia Varronis. Atque iam e Suetoni verbis coiciendum est Varronem emendationis vel diorthosis tria officia posuisse emendationem proprie appellatam distinctionem adnotationem. Varronis autem artis grammaticae divisio quin Suetoni aequalibus notissima fuerit dubitari nequit. Itaque de Probi Berytii studiis ita iudico: soli scriptorum emendationi deditus neque lectioni carminum studuit neque enarrationi neque iudicio; sed quod ex partibus grammaticae soli emendationi deditus fuit, id minime obstat, quominus operam conlocaverit in grammaticae organis, quorum cognitione qui erat destitutus, omnino grammatici officio fungi non poterat. Sed video posse quempiam contra sententiam meam facere putare ea Suetoni verba quae statim secuntur: 'hic non tam discipulos quam sectatores aliquot habuit. numquam enim ita docuit ut magistri personam sustineret; unum et alterum vel cum plurimos tres aut quattuor postmeridianis horis admittere solebat cubansque inter longos ac volgares sermones legere quaedam idque perraro'. Sic enim possit quispiam dicere: Quid? nonne tu ipse supra illud legere ita explicasti, ut et praelegere et ex-

planare significaret? quomodo idem nunc potes negare Probum Berytium operam dedisse lectioni atque enarrationi poetarum? Sane nego atque negare posse mihi videor propterea quod Suetonius addidit verba 'idque perraro'. Quamquam igitur nonnunquam coram paucissimis familiaribus Probus Berytius quaedam legit atque enarravit, tamen quia hoc perraro fecit neque unquam coram populo praelegit neque commentarios editionibus suis adiecit, optime statui posse puto uni scriptorum editioni Probum Berytium fuisse deditum. Quomodo factum sit ut aliquot tantum sectatores, non multos Probus haberet, facile apparebit si meminerimus antiquorum studium cui vel maxime Probus deditus erat tunc contemptui fuisse. Sectatores autem illos patet non fuisse pueros, vix adulescentes; cum enim sectatores opponantur discipulis neque umquam ita Probus docuerit, ut magistri personam sustineret, utique alia etiam erat Probi ratio quam Q. Caecili Epirotae, de quo c. 16 haec legimus: 'scholam aperuit, sed ita ut paucis et tantum adulescentibus praeciperet, praetextato nemini, nisi si cuius parenti hoc officium negare non posset', ut sectatores illi videantur fuisse Probi amici fortasse non ita multo aetate ipso minores.

Tandem pervenimus ad ultimum capitis enuntiatum, quo de scriptis Probi agitur: 'nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis edidit. reliquit autem non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui'. Patet hoc loco ea, quae Probus ipse edidit, opponi eis, quae non edita reliquit, quae a sectatoribus eius postea edita esse perquam est veri simile. Iam verbis 'nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis edidit' apparet Suetonium quo est brevitatis studio duo dicere: primum nimis pauca et exigua Probum edidisse, deinde nihil nisi de quibusdam quaestiunculis minutis eum edidisse. Ex utraque re novom potest deduci argumentum contra sententiam eorum, qui Probum vel iusti interpretis more commentarios scripsisse vel certe notas scriptoribus appositas adnotationibus confirmasse putant. Quod iam recte vidit Osannus proll. in Corn. p. LXIX. Ac profecto si multos scriptores Probus commentariis vel adnotationibus instruxit — multos enim eum emendasse constat — quomodo nimis pauca et exigua edere potuit? quo-

modo nihil nisi de quibusdam minutis quaestiunculis? Quam difficultatem Bergkius l. c. p. 129 sq. miro modo ita sibi visus est expedivisse ut hoc loco Suetonium statueret loqui de scriptis peculiaribus ('selbständige Schriften'), a quibus distinguendae essent editiones scriptorum criticae adnotationibus quibus notae appositae confirmarentur instructae. Sed Suetonius plane universe loquitur[24]. Iam quaeritur quales fuerint minutae illae quaestiunculae. Lehrsius de Arist. stud. Hom. ed. I p. 229 (II p. 223) quem secutus est Bergkius l. c. p. 130 haec verba ad ἀπορίας et λύσεις rettulit. Atque sic bis primitivom quaestio apud Suetonium invenitur: Tib. 56 Tiberius dicitur solitus esse ex lectione cotidiana quaestiones super cenam proponere et de eadem re c. 70 legimus: 'maxime curavit notitiam historiae fabularis, usque ad ineptias atque derisum, nam et grammaticos quod genus hominum praecipue ut diximus appetebat, eiusmodi fere quaestionibus experiebatur: quae mater Hecubae, quod Achilli nomen inter virgines fuisset, quid Sirenes cantare sint solitae?' cet.; praeterea sic invenitur in versibus Furi Bibaculi de Valerio Catone qui leguntur Suet. de gr. et rh. 11. Sed cum

24) Praeterea scire cupiam, ubi Probus apposuerit adnotationes illas. Num tantum marginem eis explevit? sed num versuum damnationes et similia paucis verbis probari poterant? deinde quid tandem sibi voluerunt notae si statim in margine ipso inlatae sunt earum confirmationes? Neque enim quemquam puto provocaturum esse ad Isid. orig. I, 20 extr. (cf. grammaticus Monac. ap. H. Kettnerum adnott. critt. ad Varr. et gloss. Latina p. 35) 'fiunt et aliae notulae librorum pro agnoscendis his quae per extremitates paginarum exponuntur, ut ubi lector in limine huiusmodi signum invenerit ad textum recurrens eiusdem sermonis vel versiculi sciat esse expositionem, cuius similem superiacentem notam invenerit'; hae enim notae, cum bis positae sint neque ipsae in margine explicatae sint, sed loci eis insigniti, plane nequeunt comparari. An adnotatio sequebatur ipsas scriptorum editiones? sed quid tandem interest utrum Probum peculiaribus libris commentarios edidisse statuamus an statim adiunxisse editionibus? — Etiam illud considerandum est earum notarum quibus Probus Berytius usus est nonnullas fere omnino non eguisse probatione velut coronidem, simplicem ductum, obelum cum aversa quae si figuras neclexeris multo similiores sunt distinctionis notarum quam obeli asterisci ceterarum notarum vere criticarum. Num has etiam a Probo semper probatas esse putabimus? At aut omnes notas semper aut omnino nullas explicavit.

quaestionum explicatio non sit dubium quin pertinuerit ad enarrationem, si recte habent, quae supra disputavi, hoc modo hic locus intellegi nequit. Neque eiusmodi ineptiae quales de Tiberio Suetonius tradit — de talibus autem necessario cogitandum esset quia contemptim (cf. Gell. VII, 13, 4 'quaerebantur autem non gravia nec reverenda sed ἐνθυμημάτια quaedam lepida et minuta et florentem vino animum lacessentia') de eis loquitur Suetonius, quod vix potuit de universis quaestionibus quae ad officium interpretis pertinere putabantur cf. Quint. I, 2, 14 — in Probum videntur cadere. Praeterea ne voce 'quibusdam' quidem apte usus esset Suetonius, si de huiusmodi loqueretur quaestionibus; nam etiamsi etiam solvisse Probum statuimus quaestiones suas [25]), tamen 'quaedam' quaestiunculae libro vel etiam libris non videntur convenire. Nihil autem est quod nos cogat ut hoc modo locum interpretemur, nam quaestio et quaestiuncula etiam eandem vim generalem habent ac nostrum 'Frage'. Atque tota studiorum Suetoni ratio eo ducit, ut subtiles quasdam quaestiones de sermone Latino institutas eum statuamus voluisse significare: ita aliis de causis etiam Riesius iudicat l. c. p. 9. Atque verba 'nimis pauca et exigua' ita videntur explicanda ut pauca ad parvom numerum, exigua ad tenuitatem librorum pertineat. — Quod ad ultima verba capitis attinet: 'reliquit autem non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui' duo attendenda sunt, primum Probum Berytium reliquisse observationes grammaticas, non praecepta ad artis formam rodacta, deinde has observationes tantum pertinuisse ad sermonem anticum qua appellatione quid Suetonius voluerit significare ex eis quae supra disputavi satis puto apparere. Apparet autem silvam illam observationum ortam esse ex conicctaneis ex antiquorum scri-

25) Neque enim semper quaestiones etiam solvebantur, cuius rei exemplum inlustre praebet M. Valerius Probus qui dicitur ad Verg. ecl. VI, 31, sed saepe tantum proponebantur, unde saepissime apud scholiastas Latinos legimus hunc vel illum grammaticum in loco aliquo aliquid quaerere i. e. quod nos dicimus 'fragen' 'eine Frage aufwerfen' velut Pseudoascon. p. 114, 1 Or., schol. Ver. Verg. Aen. III, 691 X, 551, Don. ad Ter. Phorm. II, 3, 25 V, 8 (9), 16 Serv. ad Aen. I, 170 III, 83 VI, 473 XII, 755 cf. etiam ad XII, 449. 517. 619 XI, 601 al.

ptorum quibus vel maxime deditus erat lectione conlatis. Quaeritur vero num recte Rothius litteris intermisso spatio latius dispositis verba 'silvam observationum sermonis antiqui' titulum videri iudicaverit. Possit enim aliquis non modo verba 'non mediocrem', sed 'non mediocrem silvam' opponi verbis 'nimis pauca et exigua' putare, ut tantum 'observationum sermonis antiqui' Probi sectatores inscripserint libros ab eo relictos; atque hoc potissimum modo veteres solebant libros inscribere.

Iam video magnam totius quaestionis partem esse profligatam. Inlustratis enim Suetoni de Probo Berytio testimoniis certa mihi videor iecisse fundamenta, in quibus reliqua disputatio inniti possit. Vidimus uni scriptorum editioni deditum Probum reliquas scriptorum pertractationis partes neclexisse, invenimus praeter scriptorum editiones nihil Probum emisisse nisi paucas quasdam et exiguas disputationes de minutis quaestiunculis quae ad sermonis scientiam pertinebant, cognovimus eorum quae reliquit condicionem. Unam rem adhuc neclex imus, aetatem Probi, ad quam accuratius definiendam, quamquam apud Suetonium non desunt indicia quaedam satis gravia, necessario adhibenda sunt aliorum scriptorum vel de Probo Berytio vel de aliis Probis testimonia. Sed priusquam hanc quaestionem adgrediamur, nonnulla dicenda videntur de anecdoto Parisino quod vocatur ex quo quanta lux Probi Berytii studiis adfulsisset, iam supra indicavi. Nam qui primus hoc anecdotum edidit, cum Isidori capite quod est de notis scripturarum (origg. I, 20) contulit, inlustrare conatus est Th. Bergkius diar. ant. stud. 1845 partic. 11. 14—17 Suetonium, qui teste Suida s. v. *Τράγκυλλος* scripsisset *περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων α'*, fontem huius tractatus esse studuit probare. Quaedam de ancedoto disputaverunt M. Hertzius diar. ant. stud. 1845 partic. 50 et Osannus in libro quem inscripsit 'Anecdotum Romanum' p. 234 sqq., qui etiam ipsum anecdotum libello suo adiecit p. 327 sqq.; item repetierunt Reifferscheidius Suet. rell. p. 137 sqq. et A. Nauckius lex. Vindob. p. 278 sqq. Nuper exstitit qui rem magnam, in Horati Vergili aliorum carmina nullum inrepsisse versum spurium, ex hoc tractatu effici posse sibi persuasisset, A. Riesius ann. phill. vol. 93 1866 p. 465 sqq. quem refellere studuit O. Ribbeckius proll.

Verg. p. VIII sqq. Respondit Riesius ann. phill. 1866 p. 868 sqq., rursus rescripsit Ribbeckius append. Verg. p. IX sq. Notarum enim viginti explicationum, quae in anecdoto secuntur enumerationem unius et viginti notarum — una enim explicatio neolegentia vel librariorum vel scriptoris intercidit — et grammaticorum Latinorum qui eis usi sint, sex i. e. altera tertia et a quinta usque ad octavam omnes continent mentionem grammaticorum Latinorum, quattuordecim reliquae i. e. prima quarta et a nona usque ad vigesimam omnes non item, sed in undecima invenimus exemplum additum ex Vergilio sumptum [26]). Hinc Riesius effecit

26) Haec undecima nota in anecdoto — et in indice et in explicatione — vocatur aversa obelismene, Isidorus eam nominat aversam cum obelo, quod nomen Riesius p. 467 adn. praefert, quia nota quarta decima nominetur aversa obelismene. Sed quid interesse possit inter aversam obelismenen et aversam cum obelo parum intellegitur; neque vidit Riesius in indice quartam decimam notam nominari obelum cum aversa, idque recte: nam ut nota ※ — appellatur asteriscus cum obelo, ita nota — < appellanda est obelus cum aversa, contra ut nota > — vocatur diple obelismene, ita nota ⋖ vocanda est aversa obelismene vel quod prorsus idem est aversa cum obelo. Itaque dormitans vel librarius quidam vel excerptor ipse, cum oculi ad superiora aberrarent, pro 'obelus cum aversa' scripsit 'aversa obelismene'. Utique autem vitium est pervetustum, quippe quod iam Isidorus invenerit; nam quod notam — < appellat aversam obelismenen et notam ⋖ aversam cum obelo, patet eum vitium emendare conatum esse, sed emendatio ei infeliciter cessit, vel potius non Isidoro, sed ei qui composuit tractatum de notis Isidoriani simillimum quem e codice Monacensi 14429 edidit H. Kettnerus adnott. critt. ad Varr. et gloss. Latina (lib. schol. Rosleb. a. 1868) p. 33 sqq. Hic cum nonnullis locis Isidoro pleniora atque ob id ipsum interdum etiam planiora habeat, ut recte Kettnerus statuit, nullo modo putari potest Isidorum exscripsisse, cum ab Isidoro eum exscriptum esse quominus putemus quid obstet equidem non videam. Si autem cum Kettnero de communi fonte cogitamus, utique grammaticus Monacensis Isidoro propius ad hunc fontem accedit. Iam inter grammaticum Monacensem et anecdotum Parisinum ea videtur intercedere ratio, ut ille cum eis quae anecdotum habet videatur confudisse alia quae ad libros sacros pertinebant: viginti unam notas anecdoti omnes invenimus inter viginti sex grammatici Monacensis; hic de singulorum grammaticorum antiquorum usu nihil tradit quod non habeat anecdotum; saepe ad verbum consentit cum anecdoto, etiam in rebus perversis velut in diplae periestigmenae explicatione; quod notam ⋖ nominat aversam cum obelo ut dixi prodere videtur emendatorem infelicem. Duos auctores grammaticum Monacensem secutum esse perspicue videtur apparere

tredecim ex XXI notis grammaticos Latinos non esse usos, octo esse usos: nam etiam alogum cuius explicatio intercidit propter Servi ad Aen. X, 444 adnotationem Latinis concessit. Iam cum harum octo notarum nulla ad athetesin spectaret, Probi aetate in Horati Vergili aliorum carmina spurios versus nondum irrepsisse, postea vero ea interpolata esse ob alias res parum habere verisimilitudinis. Pugnant cum Riesi sententia verba quae explicationem viginti notarum antecedunt quibus viginti una notis enumeratis Latini diserte dicuntur in adnotationibus suis usi esse 'his solis'. Vocem 'solis' pro qua Ribbeckius proll. p. IX scribi voluit 'et olim', quod etiam Riesius probavit l. c. p. 868, cum antea pauciorum notarum indicem ante verba 'his solis' intercidisse existimasset l. c. p. 468, optime habere ostendit Reifferscheidius mus. Rhen. 23 1868 p. 127, cum provocaret ad notas simplices quae in anecdoto Parisino viginti unius notarum illarum explicationes secuntur et ad notas rhetoricas anecdoti Cavensis. Habemus igitur ex altera parte testimonium quod nullam habere videatur suspitionem, ex altera silentium, et silentium excerptoris miserrimi codice uno traditi. Ex tali silentio summas res efficere cum vera ratione prorsus pugnat. Recta ratio postulat, ut si nulla ratione alia quod tantum in sex vel septem notis Latinorum mentio fit expediri potest in excerptoris et librariorum neclegentia acquiescamus. Atque quod Ribbeckius propter verba 'et postremo Probus qui illas in Virgilio et Horatio et Lucretio apposuit ut Ho-

ex duabus notae phi et rho explicationibus, quarum priorem habet anecdotum, alteram Isidorus: initio non videtur animadvertisse etiam apud alterum auctorem suum commemorari phi et rho, postea vero, cum anecdoti explicatio ei iam displicere coepisset, alteram proposuisse explicationem vel totam ex altero illo auctore petitam vel ex duabus explicationibus contractam, priorem delere aut prorsus oblitus aut tantum notis damnationis usus postea omissis. Atque quod in coronidis explicatione habet anecdoti verba aucta verbis 'apud omnes' quae Isidorus non habet, fortasse consentire in coronidis usu scriptores ecclesiasticos et grammaticos veteres significare voluit. Sed diplen sive antilabda scriptorum ecclesiasticorum et diplen aperistieton grammaticorum veterum eandem notam esse non perspexit, fortasse eo deceptus quod non integram invenit vocem 'aperistieton'; ipse certe 'diple peri sticton' scripsisse videtur, quod Isidorus mutavit in 'diple peri stigmen', librarii corruperunt in 'diple prosticon'.

mero Aristarchus', quamquam hoc loco non prorsus vera tradi demonstrari potest, verba illa 'item Probus et antiqui nostri' et reliqua ad grammaticorum Latinorum Aristarchi imitationem spectare existimavit, non magis mihi quam Riesio persuasit. Sed qui has duas res consideraverit, primum in duodecim ultimarum notarum explicationibus ubique legi praesens tempus ponendi verbi, in reliquis explicationibus fere legi praeteritum, non modo de singulis grammaticis, sed etiam universe, velut in explicatione simplicis ductus et antisigmatum, deinde duodecim posteriores notas simpliciter explicari, octo priorum certe quattuor primam alteram tertiam quintam docte explicari, cum inventores, causae cur hae potissimum notae usurpatae sint, diversae grammaticorum rationes significentur, qui igitur has res accuratius consideraverit, is mecum duas partes explicationum agnoscet, octo priorum et duodecim posteriorum notarum, ex diversis non dico fontibus at eiusdem fontis partibus vel capitibus repetendas: nimirum ut nunc notae solae praemissae sunt explicationibus, ita in fonte huius tractatus primum enumeratae erant notae additis explicationibus brevibus, tantum aetatis auctoris usus respectu habito, deinde significatis grammaticis Latinis qui eis usi essent sequebatur docta de historia harum notarum expositio; atque epitomator — cum epitomo nobis rem esse iam vidit Bergkius neque ulla potest de ea re esse dubitatio — ita in excerpendo versatus est, ut cum primum doctiorem illam atque copiosiorem disputationem excerpere in animum induxisset, in indice notarum explicationes ut supervacaneas omitteret, deinde cum ex eis quae de octo prioribus notis disputata invenit quaedam excerpsisset, excerpendi laboris pertaesus — iam ea quae de notis sexta septima octava legimus manifesto ostendunt lassitudinem ac taedium epitomatoris — ad indicem illum fusiori disputationi praemissum reversus inde breves duodecim posteriorum notarum explicationes describeret, ex doctiore expositione tantum exemplum notae undecimae adderet. Ita optime explicatur quod antea invenimus praeteritum tempus verbi ponendi, postea praesens. At etiam in primae notae explicatione praesens tempus invenitur: 'obelus versibus apponitur hac causa' cet. Sed haec difficultas facili negotio tolli potest: quod in eis quae de sim-

plici ductu et de duobus antisigmatis leguntur praeteritum invenimus, id non est dubium quin inde repetendum sit, quod epitomator quae in fonte suo invenerat accurata atque definita tempore non mutato mutavit in infinita atque universa — ita rem fuisse luculenter apparet ex eis quae de diple periestigmene legimus: 'diple periestigmene apponebatur quae Zenodotus Ephesius non recte adiecerat aut detraxerat aut permutaverat' quae patet in fonte epitomatoris tantum de Aristarcho et de Homero fuisse dicta —, in illo autem loco iam in fonte suo praesens invenit. Optime autem rationi meae congruit quod in titulo totius tractatus haec legimus: 'notae XXI. quae versibus apponi consuerunt' i. e. solent. Iam non est mirum quod in duodecim ultimis notis non commemorantur grammatici Latini; quod autem in obelo et in simplici ductu non commemorati sunt Latini, id potest tribui librariorum neclegentiae, sed potest etiam excerptor sibi parum constitisse statui. Quod novom argumentum Riesius l. c. p. 873 sibi visus est invenisse in Quintiliani verbis I, 4, 3: 'nam et scribendi ratio coniuncta cum loquendo est et enarrationem praecedit emendata lectio et mixtum his omnibus iudicium est, quo quidem ita severe sunt usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare et libros qui falso viderentur inscripti tamquam subditos summovere familia sibi permiserint, sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero', ubi Quintilianum dicere putat veteres tantum grammaticos i. e. Alexandrinos obelis appositis versus damnasse, de hoc loco eodem modo ego iudico atque Ribbeckius app. Verg. p. X: tantum verba 'sed auctores' cet. ad solos veteres grammaticos spectant, quo modo ut locum intellegamus, cum quod nos vocamus criticam altiorem Romani minime neclexerint, prorsus postulant verba 'et libros qui' cet.

Itaque grammatici Latini in poematis quae tractabant versus invenerunt quos ut spurios tollendos iudicarent. Atque in anecdoto huius rei habemus testem certe satis locupletem. Quod Bergkius coniecit Suetonium esse fontem epitomatoris, hoc ego non negaverim, primum quia Suetonium eiusmodi librum vel certe tractatum scripsisse Suidae testimonio constat, deinde quia

auctor quo usus est epitomator de notis ut de re aetate sua frequenti locutus — est hoc satis apparet ex tempore praesenti quo in brevibus illis explicationibus usus est —, denique quia potissimum Latinorum grammaticorum ratio habetur, quae duae res optime Suetonio conveniunt. Sed non possum concedere ex eis quae de asteriscis a grammaticis Latinis usurpatis dicuntur 'item Probus et antiqui nostri' et 'item antiqui nostri et Probus' et ex eis quae post indicem notarum XXI leguntur 'his solis in adnotationibus hennii lucii et historicorum usi sunt varrõs hennius haelius aequae et postremo probus qui illas in virgilio et horatio et lucretio apposuit ut homero aristarchus' quidquam de Suetonio posse concludi. Bergkius enim l. c. p. 112 ita ratiocinatus est: quia Probus opponeretur grammaticis antiquis, tertii autem vel quarti saeculi hominibus grammatici primi p. Chr. saeculi non minus veteres fuissent quam primi illi grammatici Romani qui Cratetem essent imitati, cogitandum videri de scriptore qui fuisset exeunte primo p. Chr. saeculo vel initio alterius. Sed equidem non puto necessarium esse in verbis 'item Probus et antiqui nostri' et 'item antiqui nostri et Probus' de oppositione Probi et antiquorum cogitari, sed haec verba etiam puto posse intellegi 'item Probus et omnino antiqui nostri' et 'item antiqui nostri et maxime Probus': nimirum tum non Suetoni, sed epitomatoris putanda sunt; semper autem ubi nobis res est cum epitoma, considerandum est utrum singula verba fonti an epitomatori sint tribuenda. Multis autem de causis de oppositione dubito. Primum in eis verbis quibus qui grammatici quibus scriptoribus notas XXI apposuerint exponitur inter Probum et reliquos longius intervallum intercessisse nullo modo significatur; nam quod legimus 'et postremo Probus', ut 'postremo' ad tempus referendum sit, nihil dicitur nisi post reliquos Probum fuisse; unde Ribbeckio proll. p. IX verba 'et postremo' quasi flagitare visa sunt ut quod eis responderet 'olim' praecederet. Deinde per medium aliquod tempus aut nullas aut plures notas apud Romanos in usu fuisse minime verisimile equidem iudico. Tum apud nullum scriptorem Latinum usque ad Quintilianum (I, 4, 3 de quo loco supra disputavi) ullum potest deprehendi vestigium notarum a Romanis scriptoribus appositarum:

diplen quidem commemorat Cicero ad Att. VIII, 2, 4: 'id ex Pompei litteris cognosces, in quibus animadvertito illum locum ubi erit διπλῆ', sed hoc loco de usu prorsus diverso agitur; praeterea ad Fam. IX, 10, 1 Dolabellae haec Cicero scribit: 'nihil Romae geritur quod te putem scire curare, nisi forte scire vis me inter Niciam nostrum et Vidium iudicem esse. profert alter, opinor, duobus versiculis expensum Niciae, alter Aristarchus hos ὀβελίζει; ego tamquam criticus anticus iudicaturus sum, utrum sint τοῦ ποητοῦ an παρεμβεβλημένοι'. Sed hic locus potius argumento est Ciceronis aetati atque superioribus temporibus non posse tribui usum notarum criticarum. Quod cum Riesius olim sensisset (p. 469 adn. 6), miror tam celeriter l. c. p. 873 adn. 6 eum concessisse Ribbeckio qui proll. p. X in epistulis Ciceronem captare Graecam scientiam et Aristarchi obelos celeberrimos fuisse contra eius sententiam attulit; nam nihilo minus equidem non possum credere cum antiquo critico Ciceronem se comparaturum fuisse, si cognovisset obelos Latinis scriptoribus appositos [27]). Iam ipsa Quintiliani aetate Martialis X, 1, 1 coronidem ita commemorat, ut eam tum volgo in finibus librorum positam esse appareat: 'Si nimius videor seraque coronide longus Esse liber: legito pauca, libellus ero', quem locum attulit Riesius p. 871. — Denique in fine notarum simplicium indicis qui in codice Parisino post notarum XXI explicationes invenitur legimus quae nemo adhuc satis videtur attendisse: 'de notis probianis. EXPL NOTAE'. Qui locus omni carebit difficultate, si olim notarum simplicium indicem priore loco, notarum XXI posteriore loco conlocatum fuisse atque verba 'de notis probianis' tractatus de notis XXI titulum effecisse statuemus [28]). Iam quisquis notas XXI Probianas nominavit, non puto eas potuisse

27) Contra Aristarchi obelorum fama satis explicantur quae legimus Cic. in Pis. 30, 73: 'verum tamen quoniam (quamquam?) te non Aristarchum, sed Phalarin grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum, sed poetam armis persequare, scire cupio quid tandem in isto versu reprehendas' cet. atque eius iudici fama quod Cicero ad Att. I, 14, 3 Atticum Aristarchum orationum suarum appellat.

28) Quod ante haec verba in codice legimus: 'ΦF metafrasis greca et latina F.', cum nota F metaphrasis Latina significata sit, facile intellegitur quomodo alterum F ortum sit.

nominari Probianas, si non parvo spatio ante Probum fuerunt qui XXI notis illis uterentur. At Probus celeberrimus eorum fuit qui XXI notis usi sunt. Sed non celebrem eum fuisse grammaticum Romanum putabimus qui XXI notas composnit atqne primns eis usus est? Neqne enim magis vori simile est quam demonstrari potest iam Graecum aliquem grammaticum eisdem XXI notis ita nsum esse ut Probus et alii Latini eis usi sunt. Atqne cum in his notis sint quao communi usu apud Graecos fuerint receptao velnt obelns, sint quibus Aristarchus primus usus sit vel omnino velut asterisco cum obelo vel certe eis quas Latini eis tribuerunt significationibns velut asterisco[29]), sint quibus Aristarchus non sit nsus neque posteriores videantur esse usi, sed quas prioris aetatis grammaticos Graecos constet versibus apposnisse velnt ceraunium[30]), sint denique de quarum

29) Asteriscus eum obelo et asteriscus eiusdem significationis cuius fuit Aristarchens Aristophani tribuitur schol. Hom. γ, 71. Sed ibi Aristarcheam normam ad Aristophanem parum accnrate translatam esse viderunt A. Nauckins Arist. Byz. fragm. p. 17 et Sengebuschius diss. Hom. I p. 51 cf. Lehrsius de Arist. stud. Hom. ed. II p. 337 adn. Frustra repugnavit Osannus Anecd. Rom. p. 77 sq.

30) Ceraunlo usum esse Aristophanem coustat ex sehol. Hom. σ, 282 in Crameri An. Paris. III p. 505 παρείλκετο] ἀντὶ τοῦ ἐφέλκετο· εὐτελὲς τοῦτο, διὸ καὶ κεραύνιον παρέθηκεν Ἀριστοφάνης. Quod scholium non convenire cum ea explicatione quam apnd Isidorum, ex cuius verbis 'ceraunium ponitur qnotiens multi versus improbantur nec per singulos obelantur. eerannium enim fulmen dicitur' petita videntur quae leguntur in glossar. vet. Mai auct. class. VI p. 577 (cf. Osann. p. 161) 'ceraunium nota est quae in libris apponitur quotiens multi versus improhantur nee per singulos obelos; κεραυνὸς enim fulmen dicitur', et in anecdoto Parisino inveniremus non recte statuerunt Osannus Anecd. Rom. p. 79 cf. 161 et H. Schraderus de notatione critica a vett. gramm. in poett. scen. adhibita p. 61; nam uni voci παρείλκετο vel uni versui 282 ceraunium Aristophanem apposuisse minime in sebolio dicitur. Nihil igitur obstat quominus cum Nanckio l. c. p. 30 tres versus 281—283 ceraunio apposito Aristophanem statuamus damnavisse; ita etiam Sengebuschins I p. 50 et Lehrsius l. c. p. 337 adn. videntur iudicare. Ae profecto cavendnm est, ne propter hoc scholium ceraunio tribuamus vim verhorum insolentiae adnotandae atque vituperandae, de qua nihil est traditum. — In Platonis codicibus teste Diog. L. III, 66 ceraunium usurpabatur πρὸς τὴν ἀγωγὴν τῆς φιλοσοφίας. Notitiam parum accuratam produnt quae in anecdoto Romano de ceraunio leguntur: ἔστι

apud veteres grammaticos Graecos usu nihil sciamus velut obelus superne adpunotus, ancora utraque — has notas ex ὡραίῳ quod in anecdoto Cavensi commemoratur et etiamnunc in nonnullis codicibus invenitur ortas esse recte statuit Reifferscheidius l. c. p. 130 —, chi ot rho sive chresimon, phi et rho sive phrontis, recta et aversa superne obelatae, aliae, quae num omnes omnino inventae sint a Graecis, id quod de phrontide et chresimo propter nomina Graeca videtur constare, dubitari potest (ita etiam Ribbeckius proll. p. X videtur statuere)[31], eum qui his notis XXI primus usus est apparet suo usum esse iudicio. Iam nisi ipse Probus notis XXI primus usus est, non puto eas dici potuisse Probianas. Suetonius certe vel ad quemcunque anecdotum revocandum est, si Probus nihil aliud quam notas XXI ab antiquioribus grammaticis compositas et usurpatas reduxit, eas non potuit usurpare Probianas. Neque magis hoc nomen eis videtur imponere potuisse epitomator, si Probum tantum antiquiores grammaticos secutum esse apud auctorem suum invenit. Ea autem ipsa quae in anecdoto legimus non sunt ea, ut librarius aliquis, si quis verba 'de notis Probianis' librario alicui tribuere velit, notas XXI facile potuerit usurpare Probianas. Itaque propterea has XXI notas Probianas appellatas esse statuo, quia Probus Berytius primus eis usus est. Ceteros autem grammaticos qui in anecdoto eis usi dicuntur eosdem puto quos Suetonius in vita Probi eius sectatores appellat, quos Probi notis uti vel maxime decuit.

In nominibus eorum qui praeter Probum XXI notis usi

μὲν τῶν σπανίως παρατιθεμένων, δηλοῖ δὲ καὶ αὐτὸ πολλὰς ζητήσεις πρὸς ταῖς προειρημέναις.

31) Hac notarum XXI indole Osannus (An. Rom. p. 243 sq.) permotus est, ut auctorem tractatus cum temporum tum litterarum generum diversorum notas enumerasse atque tantum pauca quaedam quae ad historiam notarum pertinerent ex Suetoni libello petisse statueret. Quod nullo modo probari potest: nam si in eo offendendum est quod secundum anecdotum notae quaedam primo p. Chr. saeculo usurpatae sunt, quas nusquam alibi traditum est iam tunc usurpatas esse, etiam id aliquis negare potest Probum notis criticis usum esse de qua re non magis quidquam alibi traditur. Sed in talibus rebus patet omnia ea accipienda esse de quibus ut dubitemus non aliae res certae suadent.

sunt restituendis multi desudaverunt. Atque Bergkius quidem ipsis grammaticae Latinae primordiis usum notarum XXI vindicavit: 'varr$\overset{n}{o}$s hennius' putat corruptum esse ex 'Vargunteius', in 'haelius aequae' latere censet 'Laelius Archelaus'; et Vargunteium quidem commemoratum fuisse persuasit Hertzio Reifferscheidio Ribbeckio qui etiam alterum illud ita probavit ut non Laelius Archelaus', sed 'Laeliusque' in codicis scriptura latere statueret. Sed ex Suet. de gr. et rh. 2 quo loco Bergkius nisus est nihil de hac re effici posse ex eis quae supra de hoc loco exposui satis puto apparere. Accedit, id quod rectissime Bergkio opposuit Osannus Anecd. Rom. p. 242, quod Crates cuius exemplum secuti sunt prisci illi grammatici Latini neque notis ab Alexandriuis inventis usus est neque omniuo editiones curavit; certe de neutra re quidquam est traditum. Denique grammaticos illos qui id agebant ut carmina parum adhuc divolgata vel defunctorum amicorum vel si quorum aliorum probasseut pluribus nota facerent quomodo taudem nobis persuadebimus usos esse obelo ceraunio diple periestigmeue similibus uotis? Quae a ceteris qui eum de quo quaerimus locum auecdoti tractaverunt proposita sunt — Hertzius proposuit 'Vargunteius Ennius Aelius aeque et postremo Probus', Osannus 'Varro Ennius Aelius Aquila e. p. P.', Reifferscheidius 'Varguuteius Ennius Aeliusque e. p. P.', L. Muellerus (ann. philoll. vol. 87 1863 p. 176) 'Varro Sinnius Aelius aeque ut p. P.', Riesius p. 466 (cf. p. 868) 'M. Ennius Aeliusque e. p. P.', A. Nauckius denique 'Varro Sinnius Aelius aeque ac p. P.' — commemorasse sufficiet: neque enim quisquam eorum coniecturam suam aliquo modo confirmavit. Iam si praeter Probum commemorari putamus uon grammaticos qui primi usi siut notis XXI, sed Probi sectatores, iu ignotis nominibus non iam est cur offendamus. Itaque non iam opus erit gravibus mutationibus nomina grammaticorum aliunde nota restituere, sed quam minimis mutationibus erit uteudum. Atque 'varr$\overset{n}{o}$s' omuem habet speciem verisimilitudinis ita ortum esse ut librarius aliquis pro Vario vel Varo substitueret Varrouem, atque errore animadverso correctionem non prorsus absolveret; altero loco legimus 'hennius' quod potest esse 'Ennius' quamquam propter vicinitatem Enni

poetae facile fieri potuit ut 'Annius' vel simile quid in 'Ennius' mutaretur, deinde habemus 'haelius' quod, ut ubique aspirationis notam his nominibus additam videmus, videtur esse 'Aelius'; iam sequitur 'aequae', pro quo nulla fere mutatione 'aeque' scribendum esse recte Hertzium l. c. p. 397 vidisse existimo, quamquam ego non ut Hertzius 'aeque .. et' coniungenda puto, sed 'aeque' ita explicandum esse existimo ut idem fere valeat atque 'item'; verba autem 'et postremo' non puto ad tempus spectare, sed tantum vim enumerandi habere. Causam autem cur ultimo loco Probus nominatus sit repetendam puto ex scriptoribus quos adnotavit. Si, id quod volgo putant, in anecdoto Probo tantum Vergili et Horati et Lucreti adnotationes tribuerentur, dubitatio posset oriri num omnino ad Probum Berytium quem Suetonius tradit maxime antiquis deditum fuisse ea quae in anecdoto Parisino leguntur referri possent. Sed equidem verba 'his solis in adnotationibus Ennii cet. usi sunt .... et postremo Probus' non possum aliter intellegere quam ita ut eodem modo quo ceteri qui nominantur grammatici Probus illis notis in illis scriptoribus adnotandis usus esse dicatur. In verbis autem 'qui illas in Vergilio ... apposuit ut Homero Aristarchus' mirum est quod non in utroque membro dativos invenitur; nam ut non modo dicitur adnotare versum, sed etiam adnotare scriptorem, ita non modo notam apponere versui, sed etiam notas apponere scriptori optime dicitur. Quamquam autem non negaverim aliquo modo etiam dici posse 'notas apponere in scriptore aliquo', tamen permirum est in duobus membris comparativis diversas inveniri constructiones. Itaque pro 'in Vergilio' scriptum fuisse suspicor 'item Vergilio'. Iam apparere puto cur ultimo loco Probus commemoratus sit: nimirum quia non modo in antiquis poetis operam conlocavit, sed etiam in novis. Optime autem ei rationi quae inter principem sectae alicuius et sectatores eius solet intercedere, congruit quod Probi sectatores eos scriptores solos tractaverunt, quos maxime quidem tractaverat Probus ipse, sed non ita, ut non aliis etiam operam navaret. Quae Suetonius in vita Probi Berytii tradit, non impediunt quominus eum etiam novos poetas adnotasse statuamus (cf. p. 13). Lucretium inter poetas novos referri possit

aliquis mirari, si vel dial. de orr. c. 23 meminerit ubi Lucretius opponitur Vergilio ('vobis utique versantur ante oculos qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Vergilio legunt') vel Mart. XI, 90 ubi Lucretius cum Lucilio Attio Pacuvio inter veteres refertur. Sed cum Lucretius in ipso quasi confinio poesis antiquae et novae positus sit, utrique generi potest adnumerari. Verba 'ut Homero Aristarchus' tantum ad universam Probi rationem referri possunt, non ad singulas notas, ut Ribbeckius putavit, quem frustra ex his verbis argumentum contra Riesium mihi videri petisse iam supra indicavi. Nam ut praetermittam de permultis harum XXI notarum non magis verisimile esse quam posse demonstrari Aristarchum eis usum esse, ceraunio eum non esse usum satis constat, neque in Homero adnotando uti poterat diple obelismene, quae ponebatur ad separandas in comoediis et tragoediis periodos (cf. Riesius p. 870). Itaque hic locus aperte prodit neclegentiam excerptoris qui quae in fonte invenit fusius ac recte disputata nimis contrahendo falsa induxit. Etiam simplicia grammaticorum nomina et totius enuntiati forma manifesto ostendunt epitomatorem. Restat ut de poetarum antiquorum nominibus dicam. In codice legimus 'in adnotationibus hennii lucii et historicorum'. Historici permiro modo hoc loco commemorantur; nam prorsus dubitari nequit quin XXI notarum explicationes tantum ad poetarum adnotationem pertineant. Fere ubique enim versus commemorantur, ac si quis Asconium proferat Ciceronis orationum locos secundum versuum numerum afferentem, num in historico verborum damnatio aut transpositio versuum spatiis erat accommodanda? Accedit quod non satis intellegitur quomodo historici additamentis potuerint deformari, quamquam possit quispiam opponere unicuique scriptori omnes notas XXI appositas esse minime necesse esse statuere. Hoc argumentum L. Muellerus attulit qui in Fleckeiseni ann. philoll. 1863 vol. 87 p. 176 pro 'historicorum' scribendum proposuit 'scaenicorum' quam coniecturam probavit Ribbeckius proll. p. IX, ego quamvis speciose excogitatam probare non possum: nam primum mihi parum apte post Enni commemorationem inferri videntur poetae scenici, deinde mirum est postea tria membra sic enumerari 'Vergilio et Horatio et Lu-

cretio' hic ita ut una tantum particula usurpetur, denique veterum poetarum universorum desidero commemorationem. Quamquam autem ne ipse quidem habeo quod prorsus placeat, tamen proferam quod sentio: fortasse 'henniiluciiethistoricorum' librarii fecerunt ex 'henniiacuethustorum' primo litteris 'oru' male bis scriptis. Intellegendum autem est 'Ennii ac vetustorum' eodem modo ac 'Probus et antiqui nostri'. Itaque totum locum sic scripserim: 'his solis in adnotationibus Ennii ac vetustorum usi sunt Varius (vel 'Varus') Ennius (vel 'Annius') Aelius aeque et postremo Probus qui illas item Vergilio et Horatio et Lucretio apposuit ut Homero Aristarchus'. — Iam totum anecdotum Parisinum per singulas notas enarrare ac cum reliquis quae de adnotatione veterum tradita sunt conferre non est mihi propositum: hoc enim esset infiniti fere laboris, nam omnia essent retractanda quae Osannus in amplissimis in anecdotum Romanum commentariis exposuit. Neque multum ex eiusmodi disputatione de Probo Berytio lucraremur, quippe cuius editionum valde exigua exstent vestigia, de quibus ubi disseram de quibusdam notis accuratius exponam.

Cap. II.

De aetate Probi Berytii et de Probo Martialiano et Gelliano.

Ad annum Ol. 208, 4 (a. u. c. 809, p. Chr. 56) Hieronymus haec adnotavit: 'Probus Berytius eruditissimus grammaticorum Romae agnoscitur.' [1]). Hieronymus igitur Probum Berytium floruisse ait circa annum p. Chr. 56. Iam quaeritur quo auctore vel quibus causis permotus Hieronymus ita statuerit. Hieronymi ad Eusebi chronicon additamenta ea quae ad Latinarum litterarum historiam pertinent ex Suetoni de viris inlustribus libro petita esse, postquam egregium Iosephi Iusti Scaligeri inventum qui primus Suetoniano libro Hieronymum usum esse perspexerat diu neclectum iacuerat, nostra aetate a Ritschelio C. Fr. Hermanno Th. Mommseno Reifferscheidio ita est demonstratum ut nulla iam restet dubitatio. Iam cum etiamnunc ea exstent quae Suetonius in libro de viris inlustribus de Probo Berytio exposuit, in his autem nihil iusit ex quo certi aliquid de Probi aetate possit effici, Hieronymus videri potest in aetate Probi definienda suo usus esse arbitrio. Atque Ritschelius Par. Plaut. p. 628 tantum propterea Probum ab Hieronymo octo annis post Q. Remmium Palaemonem commemoratum esse ait, quia apud Suetonium Probi vita sequeretur Palaemonis vitam. Sed utique non unam, sed duas Hieronymus habuit res, unde in ratione subducenda proficisci posset: habuit Palaemonis

1) Verba 'alter grammaticus' quae in margine codicis Bernensis leguntur in 'aliter grammaticus' emendanda esse atque scripturam 'grammaticus' indicare H. Usenerus me docuit.

aetatem, in qua re nihil interest utrum hanc aetatem recte definiverit necne, habuit autem etiam, cuius rei Ritschelius nullam habuit rationem, quia Probus ultimus a Suetonio commemoratur, Suetoni ipsius aetatem, de qua quin Hieronymo constiterit prorsus dubitari nequit. Iam quaeritur utrum Hieronymum veri similius sit in Probi aetate definienda tam neclegenter egisse ut Suetoni ipsius aetatis nullam haberet rationem, an alio librorum de viris inlustribus loco invenisse certius Probi aetatis indicium. Nam cur tandem non alio etiam librorum de viris inlustribus loco Probus Berytius potuit commemorari? Quid? nonne Remmius Palaemon commemoratus fuit in ea parte qua de rhetoribus agebatur, cuius partis initium tantum servatum est [2])? Cur non eodem modo Probus Berytius in vita Senecae philosophi vel Quintiliani vel Asconi Pediani vel alius id aetatis scriptoris commemorari poterat? Omnino cum Suetoni de viris inlustribus libris Hieronymus uti potuerit totis, nos parvam tantum eorum habeamus partem, cavendum puto ne celerius Hieronymum annos quibus scriptores floruisse tradit nisi coniecturis levibus non esse assecutum existimemus neve nimis in neclegentiam eius invehamur; neque enim nego nonnunquam satis neclegenter in excerpendi negotio Hieronymum versatum esse (cf. Reifferscheidius Suet. rell. p. 385 sqq.). Quod igitur ad Probi aetatem attinet, si Hieronymi annum optime invenerimus convenire cum eis quae Suetonius de gr. et rh. 24 tradidit, in quibus inesse indicia ad aetatem Probi definiendam satis gravia iam supra dixi non summa neclegentia usum, sed alio Suetoni testimonio nisum Hieronymum putabimus ita aetatem Probi definivisse. Considerandus igitur est ille Suetoni locus ubi eo tempore quo Probus Romae grammaticae studere coeperit ibi antiquorum memoriam prorsus abolitam fuisse dicit. Videamus qualia fuerint iudicia eorum temporum quibus Quintilianus institutionis oratoriae libros edidit, quod factum esse statuunt circiter annum 95 p. Chr. Quintiliani aetati minime verba illa congruunt 'quam-

2) Ad eundem annum circa quem Palaemonem floruisse ait etiam haec Hieronymus adnotavit: 'M. Antonius Liberalis Latinus rhetor gravissimas inimicitias cum Palaemone exercet'.

quam omnes contemni magisque opprobrio legentibus quam gloriae et fructui esse animadverteret'; tum enim fuerunt qnos Lucilius ita deditos haberet amatores, ut eum non eiusdem modo poesis generis, sed omnibus poetis praeferre non dnbitarent (Quint. X, 1, 93). Atque ipse Quintilianus I, 8, 8 sqq. lectionem veterum Latinorum, Enni Acci Pacuvi Lucili Terenti Caecili aliorum, ut perutilem commendat eosque multis rebus plerisque novorum praestare ait. Nimirum duae erant eis temporibus rationes quas Quintilianus impugnat, de quibus X, 1, 43 ita dicit: 'quidam solos veteres legendos putant neque in ullis aliis esse naturalem eloquentiam et robur viris dignum arbitrantur; alios recens haec lascivia deliciaeque et omnia ad voluptatem multitudinis imperitae composita delectant' cf. II, 5, 21 ubi de historicis et oratoribus agitur: 'duo autem genera maxime cavenda pueris puto: unum ne quis eos antiquitatis nimius admirator in Gracchorum Catonisque et aliorum similium lectione durescere velit, fient enim horridi atque ieiuni .... alterum quod huic diversum est ne recentis huius lasciviae flosculis capti voluptate prava deleniantur, ut praedulce illud genus et puerilibus ingeniis hoc gratius quo propius est adament'. Neque tamen omnino vetat Quintilianus ne veteres et novi historici et oratores legantur, sed tantum ne a pueris, quibus tantum optimum quemque legendum esse censet (cf. § 19), firmis iudiciis iamque extra periculum positis et antiquos legere suadet et novos (§ 23). Ita enim in universum de lectione Quintilianus (X, 1, 40) iudicat, paucos vel potius vix ullum ex eis qui vetustatem pertulerint posse reperiri quin iudicium adhibentibus allaturus sit utilitatis aliquid. Atque hoc iudicium incorruptum etiam in censura scriptorum Romanorum (X, 1, 85 sqq.) praestitit ubi etiam poetas veteres enumerat quamquam plerosque plus ingenio qnam arte valuisse censet (I, 8, 8 X, 1, 40 cf. XII, 10, 10). Quintiliani igitur aetate hominum iudicia admodum erant mutata: erant nimii antiquitatis admiratores, erant nimii fautores novorum, erant qui mediam quandam viam eamque veram ingrederentur ut Quintilianus. Spatium autem temporis quod interpositum est inter annum 56 circa quem Probum floruisse Hieronymus ait et id tempus quo Quintilianus institutionis oratoriae libros edidit

satis sufficere videtur ad mutationem illam iudiciorum explicandam, quae ut fieret Probus eiusque sectatores fortasse non minima ex parte effecerunt. — Ne eo quidem tempore quo dialogus de oratoribus qui editus videtur paululo post Quintiliani institutionis oratoriae libros habitus esse fingitur, sive sextum imperi Vespasiani annum sive ut H. Sauppius philol. XIX p. 256 sqq. putat nonum libelli scriptor in c. 17 significavit, antiquorum memoria Romae prorsus fuit abolita. A praestantia priorum oratorum satis esse recessum etiam ei ipsi qui recentium oratorum defensionem atque insectationem non modo priscorum, sed etiam antiquorum suscepit M. Apro persuasum fuit (cf. c. 24 et 28). In aetatem autem sibi ipsi diffidentem vix cadit de aliis temporibus iniquius existimare. Iam vero quamvis ipse in poetas veteres invehatur (cf. c. 20 'exigitur iam ab oratore etiam poeticus decor, non Accii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Vergilii et Lucani sacrario prolatus' et c. 21 'Asinius quoque quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Accium non solum tragoediis sed etiam orationibus suis expressit, adeo durus et siccus est'), c. 23 Aper de eis qui se antiquos oratores vocent haec dicit: 'vobis utique versantur ante oculos illi qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Vergilio legunt, quibus eloquentia Aufidii Bassi aut Servilii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet, qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, Calvi mirantur' cet. Attendendum est hos antiquos oratores nondum ad ultimam antiquitatem descendisse. Itaque antiquitatis studium quod circiter annum 95 p. Chr. vidimus iam satis viguisse quodque postea magis magisque convaluit iam circiter annum 75 coeperat. — Iam videamus utrum eo ipso tempore quod Hieronymus significavit antiquorum memoria Romae omnino abolita fuerit necne. Atque si quoquam tempore antiquorum memoria omnino abolita fuit Senecae philosophi aetate. Gellius XII, 2 servavit nobis Senecae de Ennio iudicium acerbissimum quod excerpsit ex epistularum moralium libro vigesimo secundo; vituperavit autem ibi Seneca non modo Ennium ipsum, sed etiam eius admiratores, in his Ciceronem apud quem multa legerentur Enniana. Atque de Cicerone cum

alia tum haec ibi dixit: 'non fuit Ciceronis hoc vitium, sed temporis, necesse erat haec dici cum illa legerentur' et alio loco: 'apud ipsum quoque Ciceronem invenies etiam in prosa oratione quaedam, ex quibus intellegas illum non perdidisse operam quod Ennium legit'. Similiter de Vergilio haec verba posuit: 'Vergilius quoque noster non ex alia causa duros quosdam versus et enormes et aliquid supra mensuram trahentes interposuit, quam ut Ennianus populus agnosceret in novo carmine aliquid antiquitatis'. Ex quibus omnibus hoc certissime apparet Senecae aetate Ennium non iam solitum esse legi. Conferendum etiam est epistulae 58 initium ubi Seneca postquam nonnullis exemplis Vergilianis probavit antiquos verbis quibusdam usos esse quorum usus sua aetate amissus esset, sic pergit: 'non id ago nunc hac diligentia ut ostendam quantum tempus apud grammaticum perdiderim, sed ut ex hoc intellegas quantum apud Ennium et Accium verborum situs occupaverit, cum apud hunc quoque (Vergilium) qui cotidie excutitur aliqua nobis subducta sint'. Opposuit igitur hoc loco Seneca Vergilio qui cotidie legeretur Ennium et Accium ut eos qui non iam legerentur. Denique de ira III, 37, 5 Enni carmina, Hortensi orationes, Ciceronis carmina afferri videntur tamquam libri ab omnibus damnati: 'non aequis quendam oculis vidisti quia de ingenio tuo male locutus est: recipis hanc legem? ergo te Ennius quo non delectaris odisset et Hortensius simultates tibi indiceret et Cicero si derideres carmina eius inimicus esset' [3]). Itaque Senecae aetate re vera veteres contempti sunt atque ipse Seneca, qui aetatis suae iudicia regebat (Quint. X, 1, 125 sqq.), vel maxime eos despexit. Neque tamen a Seneca profecta est haec veterum contemptio, quamquam eius aetate maxime veteres contempti sunt. Nam ex quo tempore Augusteae aetatis poetae comprobari coepti sunt, fieri non potuit quin veteres despicerentur, praesertim cum ipsi poetae novi et maxime quidem Horatius veteres ut parum limatos reprehenderent atque insectarentur. Aegre novi poetae populi

3) Quae Epp. 114, 13 legimus: 'multi ex alieno seculo petunt verba: duodecim tabulas loquuntur. Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt, ad Appium usque et ad Coruncanium redeunt', ea non de suae aetatis hominibus, sed universe Seneca dicere videtur.

veterum admirationem, de qua Horatius etiam in op. II, 1 quae paucis annis ante mortem eius scripta est queritur pervicerunt. Tamen iam Q. Caecilius Epirota Attici libertus qui post Corneli Galli damnationem, quae facta est a. 26 a. Chr. teste Cassio Dione 53, 23, scholam aperuit (Suet. de gr. et rh. 16) Vergilium et alios poetas novos praelegere coepit, atque L. Crassitius aequalis Verri Flacci et Scriboni Aphrodisi iam commentarios poetae novi edidit: composuit enim commentarium Smyrnae Helvi Cinnae, quo admodum inclaruit (Suet. c. 18). Verrius Flaccus quidem incomparabali doctrina excellens antiquos minime neclexit, quin etiam in certaminibus discentium quae instituebat ei qui vicisset ut praemium proponebat librum aliquem anticum, pulchrum aut rariorem (Suet. c. 17), sed post eum usque ad Probi Berytii et Plini maioris tempora nemo fuisse videtur qui antiquorum studia foveret. Certe veterum contemptio satis cadere videtur cum in M. Pomponium Marcellum sermonis Latini exactorem molestissimum tum in Q. Remmium Palaemonem hominem vanissimum, qui arrogantia tanta fuit ut M. Varronem porcum appellaret, secum et natas et morituras litteras iactaret, nomen suum in bucolicis non temere positum, sed praesagiente Vergilio fore quandoque omnium poetarum ac poematum Palaemonem iudicem (Suet. c. 22 et 23). Itaque quod Suetonius eo tempore quo Probus Berytius Romam pervenerit ibi antiquorum memoriam omnino abolitam fuisse dicit, satis constat Hieronymi testimonium; videamus num etiam illi rei congruat, quod Suetonius tum Beryti memoriam illam etiam duravisse necdum omnino abolitam fuisse ait. Berytus colonia deducta est anno a. Chr. 14, quo tempore veterum poetarum auctoritas vix labefactari coepta erat. Iam quidquid novi cuiuscunque generis Romae apparebat non perveniebat in provincias nisi post spatium aliquod temporis, velut de novis libris hoc colligitur ex lepida illa Horati ad librum suum epistula (I, 20). Ita etiam iudicia hominum non statim in provinciis mutabantur, postquam in urbe mutata erant. Sed certe priore primi p. Chr. saeculi parte dimidia, ubi urbs Roma, quamquam paullatim ab imperio discerni coepta erat, tamen etiamtum totum orbem terrarum regebat, brevi provincias urbem se-

cutas esse consentaneum est. Berytus autem vel minime in eis quae ad litteras pertinebant suum sequi poterat iudicium quippe quae in terra Graeca aegre omnino sermonem Latinum retinuisse putanda sit. Itaque post annum 40 p. Chr. vix possumus statuere Probum Romam pervenisse. Circiter hunc autem ipsum annum si Romam venit — ita si statuimus, circiter a. 20 p. Chr. natus esse putandus est —, satis convenit Hieronymi testimonium, qui eum circa annum 56 p. Chr. floruisse ait; nam post quinque fere annos per quos frustra vigintiviratum petierit eum statuere possumus ad studia se contulisse. Quae cum ita sint, aetatem Probi Berytii secundum alium aliquem Suetoni de viris inlustribus librorum locum ex quo ea facilius colligi potuerit recte definivisse Hieronymus putandus est. — Comprobatur ratio mea eis quae Servius ad ge. I, 277 adnotat: 'pallidus orcus] quia pallidos facit, nam ipse niger est. Probus orchus legit, Cornutus vetat aspirationem addendam' [4]). Hoc loco non est dubium quin de Berytii editione agatur. Cum autem duorum hominum sententiae diversae afferantur, par est eum priore loco nominatum esse, qui prior de ea re scripsit. Itaque Cornutum consentaneum est commentarios suos vel quocunque libro aliter atque Probus de voce 'orcus' statuit (cf. Ribbeck. proll. p. 128) scripsisse post Probi Berytii Vergili editionem. Quod cum Hieronymi de Probo Berytio adnotatione optime convenit. Nam L. Annaeus Cornutus, qui Hieronymo teste anno 820 u. c. vel 67 p. Chr. in exsilium a Nerone eiectus est, optime potuit rescribere Probo Berytio, si is floruit circiter annum 56 p. Chr. [5]). Iam ut hoc loco postponitur Probo, ita duobus scholiorum Veronensium locis Cornutus praeponitur Aemilio Aspro; atque alter quidem locus ita comparatus est, ut omnis tollatur dubitatio quin Cornuti studia Vergiliana antecesserint studiis Aspri (cf. O. Iahnius proll. Pers. p. CXLV): ad Aen. III, 691 haec legi-

4) Quomodo hic locus videatur emendandus, infra ubi de Probi Berytii scriptorum reliquiis agam videbimus.

5) Optime cum sententia mea congruit quod Cornutus Aeneidos commentarios suos dedicavit Silio Italico poetae, qui consul fuit a. 68 p. Chr. cf. O. Iahn. proll. Pers. p. XV, Bergk. diar. ant. stud. 1845 p. 119 adn., Ribbeck. proll. Verg. p 123.

mus: 'comes infelicis Ulixi] Cornutus: nnm indecore hoc dicitur, cum sit Ulixes hostis Aeneae? Asp. non indecore, sed pathice et magnifice, quoniam eadem erroribus et periculis patiebatur Aeneas'. Altero loco, ad Aen. IV, 178, Cornuti verba lacuna codicis hausta sunt. Itaque ordo horum grammaticorum is est, ut Probus Berytius scripserit ante Annaeum Cornutum, Annaeus Cornutus ante Aemilium Asprum. Hoc confirmatur loco Donati qui ad Ad. III, 2, 25 haec adnotat: 'quid festinas mi Geta] Probus assignat hoc Sostratae, Asper non vult ad omnia servum respondere, sed nutricem putat hoc loqui' [6]). Haec igitur egregie conveniunt. Iam transeamus ad alia.

Martialis libri tertii carmen alterum quo librum quem alloquitur Faustino dedicat sic finit: 'Illo vindice nec Probum timeto'. Apparet Martialem loqui de severo carminum existimatore, cuius indicium sibi negat fore metuendum, si Faustinus vindex libri sui futurus sit. Probum Berytium autem invenimus non fuisse similem Sp. Maeci Tarpae (cf. Cic. ad fam. VII, 1, 1 Hor. sat. I, 10, 38 a. p. 387) aut Q. Remmi Palaemonis qui omnium poetarum iudicem agebat, sed uni scriptorum diorthosi fuisse deditum. Itaque Martialis locus ad alium Probum pertineat necesse est, sive ibi de vivo Probo agitur, sive, id quod minime est veri simile, Probus ibi intellegendus est Probi similis. Eo igitur tempore quo Martialis epigramma illud scripsit alter fuisse videtur Probus grammaticis studiis deditus. Tertium autem Martialis epigrammatum librum aestate anni 88 editum esse satis firmis argumentis usus ostendit H. F. Stobbius in philol. vol. XXVI p. 55 sq. [7]). Iam cum carmine altero Martialis librum Faustino dedicet, ipso anno 88 carmen alterum scriptum esse statuendum est. Itaque Berytium Probum, qui ex ratione nostra natus est circiter annum 20, optime existimare possumus eo tempore quo Martialis carmen III, 2 scripserit iam aliquot annos mortuum fuisse, ut in simplici nomine Probi nihil sit cur offendamus.

6) Hic locus quomodo videatur esse explicandus, postea quaeremus.

7) Inter annum 84 et annum 88 tertium Martialis librum editum esse statuerat Friedlaenderus de temporibus libr. Martialis Domitiano imp. editorum et silvarum Statii (Regiomonti 1862) p. 16.

Confirmatur haec ratio duobus scholiorum Vergilianorum locis quibus priore loco Aspri, deinde Probi alicuius sententia commemoratur: schol. Ver. ad Aen. IX, 373 legimus: 'sublustri] Asp. utrum non nubila inlustrique? nam sub pro parum ponitur: Lucil. *facti subpudet.* an pro sub inlustri positum? ut *namque sub ingenti lustrat dum singula templo r. o.* (Aen. I, 453). Prob. hic posuit aptissimum hoc exemplum ex Horatio (Carm. III, 27, 31) *nocte sublustri nihil astra praeter vidit et undas*'. Si Asper Horati locum cognovisset, vix de voce 'sublustri' quaesivisset, certe etiam illius loci rationem habuisset. Habemus igitur hoc loco Probum aliquem Aspro aetate inferiorem, sed non habemus Berytium, a cuius editionibus similium locorum conlatio fuit aliena. Deinde Serv. ad Aen. X, 539 haec legimus: 'insignibus armis] Asper sic legit et utitur Sallustii exemplo qui ait *equo atque armis insignibus.* Probus vero *insignibus albis* dicit legendum, ut vestes albas accipiamus quae sunt sacerdotibus congruae, sicut Statius (Theb. IV, 218) de Amphiarao dicit [*albaque purpureus interplicat infula cristas*]'. Ne hic quidem habemus Probum Berytium, nam unusquisque qui verba 'Probus vero *insignibus albis* dicit legendum' legerit, statim de commentario cogitabit. Itaque Probo Berytio successit Aunaeus Cornutus, Cornuto Aemilius Asper, Aspro alter Probus. Iam exstat unus Servi locus qui videatur pugnare cum hac ratione: ad Aen. VII, 543 'et convexa per auras] Probus Asper Donatus dicunt hoc loco per bis accipiendum' cet.; cum haec adnotatio ad enarrationem pertineat, exspectamus potius 'Asper Probus Donatus'. Sed eiusmodi locis, ubi non diversae diversorum grammaticorum sententiae afferantur, sed tantum eiusdem sententiae diversi auctores enumerentur, non multum probatur. Atque si scholiorum Vergilianorum locos quorum hoc loco mentionem feci atque eos quos supra commemoravi referendos esse putamus ad unum Probum eumque Aemilio Aspro aetate inferiorem quod volgo putant (cf. O. Iahn l. c. p. CXLV, Bergk. l. c. p. 125, Ribbeck. proll. Verg. p. 129 [8])) ad hanc difficultatem non ita magnam quae

8) De Riesi de Aemilio Aspro sententia infra disseram, ubi de commentario Vergiliano qui sub Probi nomine fertur disputabo.

manet accedunt etiam duae graviores singulorum Donati (ad Ter. Ad. III, 2, 25 [9])) et Servi (ad ge. I, 277) locorum. Itaque sic existimo eum Probum cuius ut severi poetarum iudicis Martialis mentionem facit commentarios in Vergilium composuisse, ita ut unoquoque scholiorum Vergilianorum loco, ubi Probi nomen invenimus, considerandum sit, utrum de Berytii editione an de Probi minoris commentariis sit cogitandum [10]). Atque idem ad Donati scholia Terentiana puto pertinere. Sed horum locorum discernendorum negotium infra suscipiam, ubi utrinsque Probi reliquias recensebo, antea necesse est rationem meam etiam magis stabiliam atque confirmem. Nam possit quispiam mirari quod duo Probi in scholiis Vergili et Terenti prorsus sint confusi. Contra quem haec dico: in scholiis Vergili Veronensibus vetustissimis ut infra apparebit unus Probus minor commemoratur; quod autem ad Donatum Servium scholia Bernensia Vergili attinet, ab harum farraginum indole eiusmodi res minime abhorrent. Quod duobus exemplis potest comprobari: in scholiis Bernensibus bis occurrit nomen Aspri, ad ge. IV, 238 et IV, 520: horum locorum alter IV, 520, quem H. Hagenus ex Philargyrio emendavit, non est dubium quin Aemilio Aspro sit tribuendus, alterum IV, 238 non ad Aemilium Asprum, sed ad Asperum inferioris aetatis grammaticum Donati explanatorem [11]) referendum esse Hagenus schol. Bern. praef. p. 727 sq. evicit. Deinde apud Servium inter Asinium Pollionem celeberrimum illum oratorem et Pollionem grammaticum satis obscurum nullum fit discrimen: orator si fides est editioni Lionis vocatur Pollio: bis in vita Verg. p. 1 L., ad ecl. III, 84, VIII, 10 et 12, IX, 29, sed Asinius Pollio ad ecl. II, 1, IV, 1, VI, 6; grammaticus (cf. Ribbeckius proll. Verg. p. 116) vocatur Pollio ad Aen. VI, 554

9) Nam si quis in Vergilium quidem Asprum ante Probum commentarios composuisse, in Terentium autem Probum ante Asprum statuet, certe non sequetur probabilitatem.

10) Interdum etiam accedit quaestio, num omnino de alterutro cogitandum sit.

11) Cf. de eo H. Keilius in Hermae vol. I p. 334 et gramm. Latt. V p. 529 sqq. qui recte statuit eam artem quam Asperi iunioris nomine inscriptam apud Putschium legimus, quam repetiit Keilius vol. V p. 547 — 554, neque ad Aemilium Asprum neque ad hunc Asperum quidquam pertinere.

in omnibus ut videtur codicibus et in codice Cassellano ad II, 7, contra Asinius Pollio ad Aen. XI, 183. Iam ut nihilo minus iam constare videtur non de uno Pollione, sed de duobus cogitandum esse, quod primus perspexit Bergkius l. c. p. 119 adn., (cf. Ribbeck. proll. p. 114 sqq.), ita ea, quae ut Probi a Servio et Donato afferuntur, non uni Probo tribuenda, sed inter duos dividenda existimo.

Aliqua ex parte illud etiam rationem meam adiuvat quod Suetonius in libro de viris inlustribus Aemili Aspri nullam fecit mentionem. Recte quidem Bergkius l. c. p. 129 non ita paucos ait Suetonium omisisse grammaticos qui nobis commemorandi fuisse viderentur, sed quod Aemilinm Asprum omisit, si Probus Berytins Aspro fuit inferior aetate, haud scio an maxime sit mirandum. Nam tantam nominis famam Aemilius Asper consecutus est, ut eum cnm Probo Berytio et Scauro nobilissimos grammaticos afferens nominet Ausonius praef. ad Syagr. 20 (cf. etiam ep. 18, 26, ubi Probus omittitur, ut prof. 15, 12 et 20, 7 tantum Probus et Scaurus commemorantur). Atque eius in Vergilium atque Sallustinm commentarii tantam famam adepti sunt, ut etiam Hieronymi aetate volgo legerentnr ut apparet ex Hieron. adv. Rufin. I t. III p. 92 ed. Bas. (cf. etiam August. de util. cred. 17). Praeterea ceteri quos apud Suetonium desideramus grammatici Varroniana fere aetate fuerunt, cum Asprum volgo statuant fuisse Neronis potissimum temporibus: remotissimum autem quemque facillime videtur fieri potuisse ut Suetonius praetermitteret. Iam excogitavit quidem Bergkius causam, cur Aspri Suetonius nullam habuisset rationem, sed eam minime probabilem: statuit enim l. c. p. 126 sqq. Probnm Berytium fuisse Crateteum, Aemilium Asprum Aristarcheum, Suetonium autem cum et ipse a partibus Cratetis stetisset non mirum esse Aristarcheos silentio pressisso. Asprum autem Aristarcheum fuisse Bergkius ex eis effecit quae apud Suidam de Heraclide Pontico leguntur ubi bis Ἄπερος in Ἄσπερος mutari voluit. Sed haec omnia certo carent fundamento. Meam autem rationem si sequimur, optime potest explicari cur Suetonius neque Asprum neque Probum minorem commemoraverit: uterque enim videtur etiamtum vixisse eo tempore quo Suetonius libros quos de viris inlustribus con-

scripsit edidit. Edidit autem Suetonius hos libros inter annos 106 et 113 p. Chr. i. e. inter Iuli Tironis mortem quem ultimum rhetorem commemorat quem anno 105 vel 106 mortuum esse ex Plini epist. VI, 31 constat et mortem Plini minoris amici cuius non fecit mentionem, quem ex inscriptione testamentaria (apud Orellium inscr. sel. 1172 cf. vol. III p. 124 et Mommsenum in Hermae vol. III p. 110 sqq. cf. p. 99) ante annum 114 mortuum esse satis certo efficitur. Ita rem esse perspexit Rothius praef. p. LXXVII sq. Reifferscheidius quidem (Suet. rell. p. 418 sqq.) aliter statuit, sed ea quam ipse proposuit ratio minime probabilis est neque probavit eam G. Beckero (ann. philoll. 1863 p. 649 sq.) aut Guil. Christio (philol. XVIII p. 160): nam cum rhetorem Iulium Tironem fuisse nullo alio testimonio comprobetur, Iuli Tironis nomen quod in indice rhetorum ultimo loco legatur non Suetoni esse putat, sed a librario quodam additum: M. enim Tullium Tironem Ciceronis libertum in capite de notis, quod cum capite de bibliothecis appendix librorum de viris inlustribus fuerit, commemoratum esse, inde cum libellus de grammaticis et rhetoribus ultima pars librorum de viris inlustribus fuerit, nomen Tulli Tironis, quod deinde corruptum sit, irrepsisse. Quam sententiam refellere post Beckeri disputationem supersedere possum. Quod cum certe non plus viginti quinque annis post annum 88 Suetonius libros de viris inlustribus videatur edidisse, si anno 88 Probus minor fuit annos natus triginta vel triginta quinque, quod optime statui potest, eo tempore quo Suetonius libros de viris illustribus edidit fuit annorum non amplius quinquaginta quinque vel sexaginta. Aemilium Asprum autem paucis annis Probo minore aetate maiorem fuisse statuere possumus.

Iam quod in scholiis Vergilianis et Terentianis Probus Berytius et Probus minor non discernuntur, id eo etiam facilius explicatur atque excusatur quod utrique Probo nomen Valerius fuit. De Probo minore hoc colligitur ex A. Gelli testimoniis quae omnia ad Probum minorem sunt referenda. Hoc primum ex temporum rationibus efficitur. Scripsisse A. Gellium noctes Atticas suas certe post annum 146 p. Chr. iam multi (cf. Mercklinus philol. XVI 1860 p. 168 et Th. Vogelius de Gelli vita

studiis scriptis [Zittavi 1860] p. 7 sq.) effecerunt ex eis quae XIII, 18, 2 de Erucio Claro leguntur: 'Erucius Clarus, qui praefectus urbi et bis consul fuit, vir morum et literarum veterum studiosissimus, ad Sulpicium Apollinarem scribsit, hominem memoriae nostrae doctissimum' cet. Nam S. Erucium Clarum constat iterum consulem fuisse anno 146. Sed cum Gellius quasdam res ex Valeri Probi familiaribus (I, 15, 18. XIII, 21, 1) atque discipulis (IX, 9, 12) se dicat comperisse, nostra non tam interest quo tempore Gellius scripserit quam quo natus sit. Vogelius qui ultimus de Gelli vita quaesivit cum Dodwellio statuit Gellium natum esse imperante Traiano (l. c. p. 8) sed Traianus imperavit per annos undeviginti. Iam ex loco illo cuius mentionem feci, licet § 3 legamus: 'tum Apollinaris nobis praesentibus, nam id temporis ego adulescens Romae sectabar eum discendi gratia, rescribsit Claro ut viro erudito brevissime' cet., quidquam de hac re effici posse recte negat Vogelius p. 7 adn. 17: neque enim ullo modo hoc loco Gellius significavit, cum ipse adulescens esset, Erucium Clarum illis muneribus functum esse, sed nulla aetatis suae ratione habita maximos Eruci honores commemoravit. Sed mirum est Vogelium alterum locum ubi hic Erucius commemoratur parum considerasse. VII, 6, 12 enim legimus: 'adulescens ego Romae, cum etiamtum ad grammaticos itarem, audivi Apollinarem Sulpicium quem in primis sectabar, cum de iure augurio quaereretur et mentio praepetum avium facta esset, Erucio Claro praefecto urbi dicere' cet., ex quo loco hoc certo mihi videtur apparere Gelli adulescentiam incidisse in tempus praefecturae Eruci Clari, quae duo si accuratius definiri possunt, certius de aetate Gelli iudicare licet. Iam verba 'adulescens ego Romae cum etiamtum ad grammaticos itarem' optime inlustrantur cum initio c. 6 lib. XX 'percontabar Apollinarem Sulpicium cum eum Romae adulescentulus sectarer' tum multo magis eis quae legimus XVIII, 4, 1: 'cum iam adulescentuli Romae praetextam et puerilem togam mutassemus magistrosque tunc nobis nosmetipsi exploratiores quaereremus, in Sandaliario forte apud librarios fuimus, cum ibi in multorum hominum coetu Apollinaris Sulpicius ... iactatorem quempiam et venditatorem Sallustianae lectionis irrisit' cet. Cogitandum

igitur est de tempore post Gelli annum aetatis quintum decimum proximo. Praefecti urbi autem ab imperatoribus creabantur ex consularibus (cf. Marquardtius antt. Romm. II, 3, 278): itaque aut inter duos consulatus S. Erucius praefectus urbi factus est aut post alterum; sed de prioris consulatus anno, qui si notus esset fortasse nobis ansam praeberet, nihil constat [12]). Restat igitur ut conemur si forte ex eis quae de praefecturis urbi temporum Hadriani et Antonini Pii tradita sunt aliquid de S. Eruci Clari praefectura efficere possimus. Praefectura urbis proprie fuit munus perpetuum: ita ut rem instituat consiliantem Octaviano Maecenatem inducit Cassius Dio 52, 21, 5, cf. 24, 6, atque duobus primis imperatorum saeculis quod Dio Maecenatem voluisse tradit fere observabatur, quamquam nunquam imperatoribus non licuit quandocunque libuerat praefectos urbi a munere amovere cf. Marquardt. l. c. Iam quomodo in hac re Antoninus Pius egerit diserto constat testimonio Iuli Capitolini 8, 6: 'successorem viventi bono iudici nulli dedit nisi Orfito praefecto urbi, sed petenti. nam Gavius Maximus praefectus praetorii usque ad vicensimum annum sub eo pervenit' cet., conferenda etiam sunt ea quae c. 5, 3 de pietate Antonini erga Hadrianum leguntur: 'factus imperator nulli eorum quos Hadrianus provexerat suc-

12) Anno 117 consules suffecti fuisse feruntur M. Erucius Clarus et Ti. Iulius Alexander. Hunc Marcum eundem esse ac Sextum suspicatus est Almelovenus in priore fastorum editione. Neque temporum ratio obstat, nam ut exemplum afferam Ti. Plautius Silvanus Aelianus primum consul fuit anno 47, iterum a. 76 cf. Orelli inscr. 750. Cassius Dio (Xiphil.) 68, 30, 2 Erucium Clarum et Iulium Alexandrum legatos anno 116 tradit Seleuciam cepisse, ubi quia etiam Iulius Alexander recurrit non est dubium quin de consule anni 117 cogitandum sit. Ei Erucio qui anno 146 iterum consul fuit praenomen Sexto fuisse testantur tituli duo, Orelli inscr. 2456 et C. I. G. 5698. — S. Eruci Clari alicuius etiam mentio fit Plin. epp. II, 9, ubi eius petitionem tribunatus Plinius Apollinari commendat; commemoratur ibi etiam pater eius § 4 ut amicus quem eundem esse suspicari licet, atque is Erucius ad quem data est ep. I, 16. Filius si grandiore usus est aetate fortasse idem est atque is qui a. 146 iterum consul fuit: alterius enim Plini libri epistulas Mommsenus in Hermae vol. III p. 36 sqq. scriptas esse statuit annis 97 et tribus qui sequebantur; iam si anno 97 Erucius annum fere egit vigesimum sextum, anno 146 fuit annorum fere septuaginta quattuor.

cessorem dedit fuitque ea constantia ut septenis et novenis annis in provinciis bonos praesides detineret'. Uterque locus latius patet quam ut ex eis certo possit effici alios imperatores velut Hadrianum de praefectura urbis non eandem rationem tenuisse. Tamen si Hadriano imperante Erucium Clarum praefectum urbi fuisse statuimus, necesse est eum a munere remotum esse, quoniam eo tempore quo Antoninus Pius ab Hadriano adoptatus est i. e. initio anni 138 (cf. Capit. Ant. P. 4, 6) praefectus urbi fuit Catilius Severus de quo Aelius Spartianus Hadr. 24, 6 sq. haec tradit: 'Antonini adoptionem plurimi tunc factam esse, doluerunt, speciatim Catilius Severus praefectus urbi qui sibi praeparabat imperium. qua re prodita successore accepto dignitate privatus est'. Cum autem a. 146 iterum consul factus sit, neque aetas Clari neque culpa aliqua potuit in causa esse ut amoveretur. Si vero prorsus sine ulla causa munus ei esset ademptum, maximo opere mirandum esset de hac re nihil esse traditum, id quod etiam ad alterum illud pertinet: nam praeter praefecturam praetorio, qua senatores fungi non poterant (cf. Capit. Pertin. 2, 9), imperatorum temporibus summum ac gravissimum munus fuit praefectura urbi. Praeterea vix tempus inveniri potest, quod praefecturae Eruci Clari apte possit tribui. Initio principatus Hadriani iam propterea eo munere eum functum esse non possumus statuere, quia tum quoniam anno 146 etiam consul fuit aetate minor fuit: neque enim praefectura urbi permittebatur nisi aetate iam provectis. Deinde scimus initio imperi Hadriani praefectum urbi fuisse Baebium Macrum, de quo Spart. Hadr. 5, 5 haec legimus: 'tantum autem statim clementiae studium habuit (Hadrianus) ut, cum sub primis imperii diebus ab Attiano per epistulas esset ammonitus, ut et Baebius Macer praefectus urbis si reniteretur eius imperio necaretur et ... neminem laederet', ex quo loco id videtur colligi posse mansisse etiam Hadriano imperante Baebium Macrum praefectum urbi. Sub finem imperi Hadriani Catilium Severum praefectum urbi fuisse iam supra dixi. Medium tempus occupant praefecturae Anni Veri [13]) et Valeri Asiatici: Annius

13) Corsinius de praeff. urb. p. 58 sq. ex titulis Ligorianis inter Bae-

Verus, M. Aureli avos paternus, ter consul et praefectus urbi fuit teste Cassio Dione 69, 21, 1, cum Iulius Capitolinus M. Aur. 1, 2 eum tradat fuisse iterum consulem et praefectum urbi, sed Peterus recte iudicare videtur Capitolini loco 'iterum' mutandum esse in 'ter'; certe non est dubium quin verum sit quod tradidit Dio, nam iterum consul fuit Annius Verus a. 121, tertium a. 126. Magna igitur Annius Verus fruitus est apud Hadrianum gratia. Vixit autem etiam a. 138 teste Capit. Ant. P. 4 in.: 'mortuo Helio Vero quem sibi Hadrianus adoptaverat et Caesarem nuncupaverat, dies senatus habebatur; eo Arrius Antoninus soceri vestigia levans venit atque idcirco ab Hadriano dicitur adoptatus' cf. c. 2, 3 et Spart. Hadr. 24, 3; socer enim T. Antonini Pii fuit Annius Verus cf. Capit. Ant. P. 1, 6. Itaque vixit etiam anno 138; sed non iam fuit praefectus urbi quod optime aetate eius explicatur quippe qui accitus esset in patricios a Vespasiano et Tito censoribus cf. Capit. M. Aur. 1, 2: ut postea Orfitus Annius Verus propter aetatem ipse videtur petivisse ut munere levaretur. Atque Hadriano imperante Annium Verum praefectum urbi fuisse testatur titulus qui invenitur apud Orellium 3462 (cf. Henzenus III p. 348) et apud Mommsenum I. R. N. 1459. Huius tituli extrema pars quidem in qua ipsius Eruci Clari consulatus alter commemorari videtur, parum adhuc constituta est, sed hoc non impedit quominus reliqua parte utamur. Itaque habemus C. Luccium quendam Beneventi decurionem qui antea in cohortibus urbanis militaverat atque missus erat ab Hadriano Serviano III et Vibio Varo cos. i. e. anno 134; is satis multis aliis muneribus militaribus enumeratis praedicat se esse factum a quaestionibus per Annium Verum praef. urbis, quod munus certe non tironi tribuebatur, atque aliis rursus muneribus interpositis fuisse sese beneficiarium Valeri (ita emendavit de Vita) Asiatici praefecti urbi. Patet igitur hos duos Hadriano imperante fuisse praefectos urbi, praeterea apparet Annio Vero iam ante annum 134 successisse Valerium Asiaticum. Hic secundum Baiteri fastos iterum consul fuit anno 125; atque eum anno 134 vel certe non ita multo ante etiamtum praefectum fuisse inde

bium Macrum et Annium Verum inseruit etiam A. Gabinium Priscum ad a. 120 et L. Gabinium Venustum ad a. 121.

videtur posse colligi quod in titulo illo beneficiari munus ante ipsam missionem commemoratur. Itaque si consideramus anno 138 Catilium Severum dignitate privatum esse, tempus quo Erucius Clarus praefectus urbi esse potuerit non videtur adesse. Quae cum ita sint, apparere videtur S. Erucium Clarum non ante a. 138 praefectum urbi fuisse. Ante a. 146 autem eum praefecturam urbi adeptum esse quominus statuamus nihil obstat; saepius enim praefectis urbi honoris causa alter consulatus tribuebatur: sic in titulo Or. 750 extr. de Ti. Plautio Silvano Aeliano legimus 'hunc in eadem praefectura urbis imp. Caesar Aug. Vespasianus iterum cos. (a. 76) fecit', et idem Capitolinus Pertin. 4, 3 licet verba corrupta sint de Pertinace dicit. Itaque aut ipso anno 138 aut paullo post [14]) S. Erucium Clarum praefectum urbi factum statuendum videtur. Haec si recte disputata sunt, prima Gelli adulescentia non iam incidit in Hadriani principatum. Itaque vix ante annum p. Chr. 120 videtur natus esse. Iam si Probus Berytius floruit circiter annum 56, nullo pacto Gellius adulescens — adulescens enim utique Gellius tum fuisse putandus est — ex eius familiaribus quidquam audire poterat. — Sunt autem etiam alia quaedam indicia quibus probari videatur non eundem esse Probum Suetonianum et Probum Gellianum. Quod Gellius IX, 9, 12 non ut duobus aliis locis (I, 15, 18 et XIII, 21, 1) ex Valeri Probi familiaribus, sed ex discipulis eius quaedam se comperisse ait, nolo equidem hoc premere; possit enim hoc ut Kretzschmerus de

---

14) Si is Orfitus cuius mentionem facit Capitolinus Ant. P. 8, 6 'successorem viventi bono iudici nulli dedit nisi Orfito praefecto urbi, sed petenti' fuit Ser. Salvidienus Orfitus qui consul fuit anno 110, hunc Orfitum verisimile est a. 138 praefectum urbi factum esse, sed propter aetatem paucis annis post ipsum petivisse, ut sibi successor daretur. — Sieversius in comment. de T. Antonino Pio (Hamburgi 1861) p. 36 Erucium Clarum statuit fuisse praefectum urbi aut paullo ante a. 146 aut paullo post causas non addens. Nam quod affert teste Capitolino Pertin. 1, 4 Pertinacem Sulpicium Apollinarem audivisse, quod cum Pertinax anno 126 natus sit et ipsum circiter a. 146 factum esse oporteat, non multum probat, quia Sulpicius Apollinaris non est dubium quin per longius temporis spatium docuerit. Ceterum iam Corsinius de praeff. urb. p. 65 Erucium circa a. 146 praefectum fuisse statuit.

Gelli fontt. I p. 90 volt neclegentiae Gelli tribui. Sed 'Probi grammatici commentarius satis curiose factus de occulta litterarum significatione in epistularum C. Caesaris scriptura', cuius mentio fit XVII, 9, 5, non videtur congruere cum eis quae Suetonius de Probi Berytii scriptis tradidit. Kretzschmerus quidem l. c. p. 83 hunc commentarium adnumerari posse putat in minutas quaestiunculas quarum Suetonius faciat mentionem. Sed ego non satis intellego quomodo Suetonius qui Suida teste ipse scripsit *περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων* Probi commentarium illum satis curiose factum adeo potuerit contemnere [15]. Deinde quae I, 15, 18 leguntur 'Valerium Probum grammaticum inlustrem ex familiari eius, docto viro, comperi Sallustianum illud *satis eloquentiae, sapientiae parum* brevi antequam vita decederet sic legere coepisse et sic a Sallustio relictum affirmavisse: *satis loquentiae, sapientiae parum*' cet., cum ostendant hominem cui Sallusti scripta legere atque enarrare sollemne fuerit, parum conveniunt cum Suetoni verbis 'unum et alterum ... postmeridianis horis admittere solebat cubansque inter longos ac volgares sermones legere quaedam idque perraro'. Denique ne ea quidem quae XIII, 21, 9 Gellius dicit 'his tum verbis Probus et hac fini hominem dimisit, ut mos eius fuit erga indociles, prope inclementer' Suetoni de Berytio testimoniis congruunt: Probus Berytius enim, qui non quemvis unum docebat, sed cum plurimos tres aut quattuor familiares postmeridianis horis admittere solebat, quomodo morem homines indociles prope inclementer habendi ostendere potuerit parum perspicitur. Itaque Valerius Probus Gellianus non potest esse Berytius. Contra Probi minoris qui usque ad annum 120 vitam producere potuit, familiares atque discipulos Gellius adulescens optime potuit audire. Optime autem etiam Probi minoris aetatem Gellius a sua ita discernere potuit, ut IV, 7, 1 Valerium Probum grammaticum inter suam aetatem praestanti scientia fuisse diceret.

15) Reifferscheidius Suet. reil. p. 419 sq. etiam de ipsis literarum notis ut ait Isidorus I, 24 Suetonium in illo commentario exposuisse statuit, quod mihi non persuasit, sed quatenus illud σημείων patere putemus ad id quod volo nihil interest. — Ceterum apparet ob eandem causam ne libellum de notis quidem de quo infra dicam Probo Berytio posse tribui.

Habemus igitur duos Valerios Probos grammaticos, inter quos hanc fuisse rationem licet suspicari, ut minor vel filius vel nepos ex fratre maioris esset. Quod autem Gellius Valerium Probum minorem simplici Valeri Probi appellatione usurpavit neque ullo modo fuisse etiam alterum Valerium Probnm significavit, id cum inde explicandum videtur quod Probns minor propius accessit ad Gelli ipsius aetatem, tum inde quod maiorem famam Probus minor videtur adeptus esse quam maior. Ceterum ne Aemili Aspri quidem aut Remmi Palaemonis, qui et ipsi fuerunt grammatici nobilissimi, apud Gellium ulla fit mentio, neque ex eis locis ubi Plinius maior commemoratur quisquam possit efficere fuisse Plinium minorem. — Iam si duo fuerunt Valerii Probi, facillime hos duos grammaticos inferioribus temporibus patet potuisse confundi, nt duos Plinios apud scriptores inferioris aetatis inde ab ineunte saeculo tertio confusos esse constat de qua re cf. Rothius Suet. praef. p. LXXXVIII sq. et Reifferscheidius Snet. rell. p. 387. Eodem igitur modo quo duo Plinii Secundi pro uno habebantur duorum Valeriorum Proborum memoriae inferiore aetate in unam coaluerant.

Cap. III.

De M. Valeri Probi Berytii scriptis eorumque reliquiis.

Probi Berytii scriptorum tria fuerunt genera, primum editionum, alterum exiguorum de minutis quaestiunculis commentariorum, tertium observationum sermonis antiqui. Itaque singula genera accuratius consideremus et num quae exstent eorum reliquiae circumspiciamus. Trium autem scriptorum generum longe gravissimum sunt editiones, reliqua duo huic inserviebant: editiones in causa fuerunt ut Probus Berytius accuratius in quasdam res grammaticas inquireret quaeque de eis exploraverat ederet, editionum gratia ampla conlegit coniectanea ad antiqui sermonis consuetudinem pertinentia. Atque multos Suetonio teste edidit scriptores, secundum anecdotum Parisinum praeter scriptores vetustos etiam novos edidit, Vergilium Horatium Lucretium. Videamus primum de horum trium poetarum novorum editionibus, deinde de vetustorum. Iam quod ad Horatium attinet neque in scholiis nostris ulla fit mentio Probi scripturarum aut distinctionum aut notarum neque in codicibus qui exstant ulla notarum Probianarum vestigia possunt deprehendi: nimirum in scholiis nostris Horatianis omnino non multum antiquae doctrinae inest; notae autem Probi aut omnino non in multa exemplaria receptae aut certe non ita multo post videntur rursus esse omissae. Quod in fine alterius Horati vitae, ubi commentatores Horati enumerantur (cf. Hauthalius mus. Rhen. nov. V, 516 sqq.), Probi nomen non legitur, quoniam Probus Berytius in nullum scriptorem commentarios composuit, facile explicatur[1]). Inde autem quod Probus Berytius etiam Horatium ad-

1) Bergkius, qui Probum Berytium putat notas suas etiam explicasse

notavit de quaestione illa quae ad carminum Horatianorum interpolationem pertinet quae nostris temporibus maxime exagitatur mea quidem sententia nihil fere certi potest colligi: Riesi opinionem supra mihi videor refellisse, quod autem L. Muellerus in Fleckeiseni annall. phill. 1863 p. 176 interrogat, quomodo si iam Probus Berytius in exemplaribus carminum Horatianorum aetatis suae multos detexerit versus spurios, nostra exemplaria multo illis recentiora interpolationibus carere possint, si in anecdoto legimus cum veteribus scriptoribus tum Vergilio Horatio Lucretio Probum notas XXI apposuisse, non est necesse hoc ita accipiamus, ut unicuique scriptori omnes notas XXI Probus apposuerit; atque re vera non omnibus scriptoribus omnes notas esse appositas etiam demonstrari potest: quomodo enim diple obelismene, quae ad separandas in comoediis et tragoediis periodos apponebatur, apponi potuit Vergilio Horatio Lucretio?

Transeo ad Lucretium. Hic scholiis destituti sumus, quin etiam sunt qui commentarios in Lucretium compositos esse omnino negent atque apud Hieron. apol. in Ruf. I t. II p. 471 ed. Vallars., t. III f. 92 ed. Bas., ubi commemorantur commentarii in Lucretium, Lucilium pro Lucretio substituendum esse existiment [2]). Quod ad codices attinet, in codice Victoriano

---

et saepe quidem fusius, l. c. p. 117 sqq. magno opere laboravit, ut hanc Probi praetermissionem explicaret.

2) Hieronymi locum ita mutandum esse ita demonstrare studuit L. Muellerus de re metr. poett. Latt. p. 397 sq., ut ipse commentarios antiquos Lucretiani carminis fuisse non negaret, immo valde sibi verisimile videri diceret. Muelleri coniecturam comprobavit Bernhardyus hist. litt. Latt. edit. 4 p. 513 ipse ulterius progressus, ut de opera a grammaticis veteribus in Lucretio conlocata omnino dubitaret. Muellerus ita ratiocinatus est: Hieronymum putat agere de commentariis eis quos puerorum usui in scriptores in scholis lectitatos veteres composuerint grammatici; Lucretium vero in scholis tractatum esse non modo non esse traditum, verum etiam propter difficultatem et materiam minime esse verisimile. Sed puerorum usui, si hanc notionem premimus, grammatici illi minime commentarios composuerunt. Quomodo enim putare possumus Aemilium Asprum grammaticum nobilissimum — neque enim vereor ne Muellero de Aspro cum Riesio de comm. Verg. p. 12 conveniat — pueris commentarios scripsisse? Quod ne de Aelio Donato quidem dici potest. Quid? nonne August. de util. cred. 17 (vol. VIII p. 42 ed. Ben.), ubi nullo modo de pueris agitur, legimus: 'nulla imbutus poetica disciplina Terentia-

Th. Bergkius sibi visus est invenisse vestigia quaedam notarum Probianarum (annall. phill. 1861 vol. 83 p. 317 sqq.), sed Bergkium refellit H. Sauppius ind. schol. Gott. sem. hib. 1864/5 p. 11 sqq. qui non Valeri Probi Berytii, sed Marulli notas illas esse docuit. Itaque de Probi Lucretiani carminis recensione non magis quidquam praeter simplex anecdoti Parisini testimonium scimus quam de carminum Horatianorum editione.

Ne in Vergili quidem codicibus quamvis vetusti exstent ullum notarum Probi Berytii conspici potest vestigium [3]). Sed

num Maurum sine magistro attingere non auderes; Asper Cornutus Donatus et alii innumerabiles requirnntur, ut quilibet poeta possit intellegi, cuius carmina et theatri plausus videntur captare: tu in eos libros qui quoquo modo se habent sancti tamen divinarumque rerum pleni prope totius generis humani confessione diffamantur, sine duce irruis et de bis sine praeceptore audes ferre sententiam?'? In scholis nisi fallor non legebantur commentarii, sed legebantur poetae, quos magistri enarrabant. Itaque patere videtur paullo latiore vi boc loco Hieronymum voce pueri usum esse. Atque ita etiam Ribbeckius in Fleckeiseni annall. phill. 1863 p. 352 si recte eius mentem assequor de boc loco statuit. Ceterum vellem Muellerus accuratius probasset etiam quarto p. Chr. saeculo Lucilium in scholis esse lectitatum. Itaque singulare de commentariis Lucretianis testimonium eodem modo par est accipi atque singulare de opera critica a vetere grammatico in Lucretio posita testimonium. Quamquam Bernhardyus l. c. etiam in anecdoti Parisini loco de Lucilio, non de Lucretio cogitandum esse existimat, quod nullo pacto ferri posse ex eis quae supra de anecdoti loco disputavi appariturum esse spero. Ad sententiam illam Bernhardyus perductus est prava carminis Lucretiani condicione quae nusquam ostenderet grammatici operam; in quo neclexit differentiam editionum Probi et nostrarum: nos versus omittimus, transponimus et quae sunt similia, Probus haec omnia tantum indicavit notis appositis, quae notae si omittebantur, Probi editio non ita diversa fuit a volgaribus exemplaribus. Iam cum constet Probi notas non ita multo post e libris evanuisse, ex condicione alicuius carminis non potest effici, Probum non posuisse operam in eo adnotando.

3) Notas in Mediceo codice obvias Ribbeckius proll. p. 163 recte negat necessario aut satis probabiliter ex antiquitate essé repetendas. Sunt autem satis diversae a notis Probianis atque ne hanc quidem notam Gi quae ter in Mediceo invenitur chresimon interpretandam esse Ribbeckio possum concedere quamquam Reifferscheidium mus. Rhen. vol. 23 1868 p. 133 adn. Ribhecki interpretationem probare video. Nam cum Schradero de notat. crit. p. 53 notam Gi esse puto τὸ σημεῖον quod ut nota peculiaris affertur in libello περὶ τῶν ἐμφερομένων σημείων quem edidit C. Wachsmu-

apud Servium nonnullae servatae sunt eius editionis reliquiae [4]). Atque ubi Probi et Cornuti de scriptura loci dissensio ita infertur, ut Probi sententia praeponatur, quod ad ge. I, 277 factum est, aut ubi de notis criticis agitur, quod bis fieri videbimus, nulla de Berytio exsistere potest dubitatio; sed ubi de simplicibus scripturis vel distinctionibus agitur, interdum non ultra probabilitatem res adduci poterit. Iam apud Servium ad ge. I, 277 legimus: 'Probus *orchus* legit, Cornutus votat aspirationem addendam'. Hunc locum ad Berytium rettulit L. Lerschius diar. ant. stud. 1840 p. 111, cum Osannus symb. II p. 270, quia in catholicis quae Probo tribuuntur, quae Osannus Probo artigrapho inferioris aetatis quem fuisse statuit vindicavit, saepius (p. 10, 22. 14, 33. 22, 27. 38, 28 K.) forma 'orchus' probatur, eum ad artigraphum quem statuit rettulisset. Lerschium secutus Berytium 'orchus' legisse statuit Riesius de comm. Verg. p. 7 adn. 2, atque eodem modo iudicavit Keilius symb. philoll. Bonn. p. 97

---

thius mus. Rhen. vol. 18 p. 180 sq.: ζη τὸ σημεῖον τέτακται (semper in hoc tractatu nomina notarum adduntur) ἐν οἷς χωρίοις εὑρίσκεται ξένον τι ἢ κατὰ δόγμα ἢ καθ' ἱστορίαν ἢ κατὰ φράσιν ἢ κατά τι τοιοῦτον ὀφεῖλον σημειωθῆναι τῷ ἀναγινώσκοντι. Nam ex ☧ Romanos fecisse ζη atque hoc a Graecis translatum esse equidem putare non possum. Ceterum cf. de nota ζη Bastius ad Schaeferi Greg. Cor. p. 215 et 839 et Osannus An. Rom. p. 148 sq. — In sebedis Vaticanis bis errorem librari reperimus nota Probiana correctum: ad Aen. IV, 245 diple aperistictos apposita est eo consilio ut ab ima pagina versiculus ad eum locum ubi praetermiserat librarius revocaretur cf. Ribbeck. proll. p. 155; deinde asteriscus simplex positus est et ad IV, 669 et ad versum 670 qui prave post versum 677 scriptus est ad versum 671 apposita littera B cf. Ribbeck. proll. p. 153. — In Prisciani codice Vindobonensi 347 quem Hertzius littera S notavit, libro non ita magni preti (cf. Hertz. praef. ad vol. I. p. XXI sq.), p. 1073 P. II, 153 H., ubi Verg. Aen. I, 234 — 237 afferuntur, ultimo verbo 'pollicitus' has notae sunt superscriptae ※ s. ÷ $\left(\begin{smallmatrix}\text{※} & \text{s.} \div \\ \text{pollicitus}\end{smallmatrix}\right)$ quas frustra explicare studuerunt Bergkius annall. phill. 1861 vol. 83 p. 637 et Ribbeckius proll. p. 153 sqq. Mihi minime constare videtur has notas ad Vergili verba pertinere, ac non ad Prisciani. Certe autem non ad antiquam aliquam Vergili editionem possunt referri.

4) Ex eis quae in scholiis Veronensibus et Bernensibus Probo tribuuntur nihil ad Berytium pertinere infra ostendam. Hic ea tantum colligam quae vel certo vel satis probabiliter Berytio tribui posse videantur.

et gramm. Latt. IV p. XXV, nisi quod etiam catholica illa Berytio vindicavit. Contra Ribbeckius proll. Verg. p. 139 cum Suringaro (hist. crit. scholl. Latt. II p. 18) scripturam 'Horcus' Berytio tribuit, aspirationis notam supra vocem illam in Probi exemplari positam, sc. ut 'horcus' legeretur, falso interpretatum esse statuens eum qui praeceptum illud de tribus vocabulis aspiratis lurcho pulcher orchus in catholicis illis propagasset [5]. Ribbeckio assentitur H. Hagenus schol. Bern. p. 868 qui scholion Bernense quod ad eam rem pertinet, cuius Ribbeckius nullam habuit rationem, sic restituit: 'Orcus, infernus; quidam cum aspiratione Horcus (cod. orcum) legunt'. Atque mihi quoque, quamquam ei argumento quod Hagenus attulit Servium non dicere: 'Cornutus vetat aspirationem inserendam' sed 'addendam' equidem non multum tribuerim, nullo pacto Berytium 'orchus' probare potuisse persuasum est. De Berytio autem cum non possit non cogitari verba quae in Servi codicibus leguntur corrupta esse cum Ribbeckio et Hagono consentio, neque tamen 'Horcus' Berytium legisse puto: nam cum non intellegam quomodo vetandi verbum coniungi possit cum participio futuri passivi, pro 'vetat' scribendum esse existimo 'putat', ita ut Probus Berytius legerit 'Orcus', Cornutus scribi voluerit 'Horcus'. Quod 'orchus' pro 'orcus' legimus vitium est volgatissimum, ad quod explicandum ne opus quidem est confugere ad miram illam opinionem, secundum quam 'orchus' antiqua erat scriptura quam etiam ap. Serv. ad ge. III, 223 et Aen. VI, 3 et Mar. Vict. p. 2466 P. I, 4, 84 G. reperimus, cum non 'orchus', sed 'orcus' antiquitus scriptum esse testetur Verrius Flaccus qui veteres Orcum Urgum dixisse tradidit (cf. Fest. p. 202 et Paul. p. 203): exempla h litterae in mediis vocabulis additae collegit Ribbeckius in indice grammatico (p. 423). Itaque non Probus Berytius, sed Cornutus scribi voluit 'Horcus' idque ut mihi videtur ex coniectura non probabili, quamquam Ribbeckius 'Horcus' recepit etiam Corneli Celsi auctoritate usus (proll.

5) Cum his non satis convenire quae p. 128 legimus 'itemque quod ad ge. I, 277 Servius adnotavit nescio an ad illum de orthographia librum (Cornuti) spectet: nam Probi quoque non commentarii Vergiliani, sed catholica intelleguntur' iam significavit H. Hagenus schol. Bern. p. 868 adn.

p. 139 et 26). Sed Celsum 'Horcus' probavisse ex Servi verbis 'Celsus ut iurisiurandi deum pallidum dictum quia iurantes trepidatione pallescunt' apparere equidem non possum concedere; mihi particula 'ut' facere videtur ut etiam Celsum 'Orcus' legisse statuamus, neque quidquam aliud puto Celsum dicere voluisse nisi Vergilium hoc loco Romanorum Orcum et Hesiodi Ὅρκον confudisse ideoque etiam 'pallidus' ita esse explicandum ut Hesiodi Ὅρκῳ conveniret. Cornutus vero hanc confusionem non ferendam esse ratus 'Horcus' scribendum esse existimavit, ita ut de Romanorum Orco omnino non esset cogitandum. Quod equidem non magis probare possum quam Celsi vocis pallidus explicationem [6]).

Ad Aen. X, 444 'et socii cesserunt aequore iusso' haec Servius adnotat: '*aequore iusso* pro *ipsi iussi*; et est usurpatum participium. nam iubeor non dicimus, unde potest venire iussus, quamvis interdum sic dicatur ut Lucanus (III, 146): *cuius servaveris umbram Si quidquid iubeare velis*. sic ergo hic participium usurpavit ut Horatius (ep. I, 5, 21) verbum dicens *Haec ego procurare et idoneus imperor et non Invitus*. ergo satis licenter dictum est adeo ut huic loco Probus hic correptum a longum posuerit'. Ultima verba corrupta sunt; 'ut Probus huic loco corrupto alogum apposuerit' vel 'hoc loco corrupto alogum posuerit' scribi voluit Burmannus, quem infelicissime impugnavit Wollenbergius p. 11 (cf. Ribbeck. proll. p. 151), quamquam fortasse paullo rectius scribetur 'ut hoc loco Probus ut corrupto alogum posuerit' (cf. Bergkius diar. ant. stud. 1845 p. 110). Apposuit igitur Probus huic loco alogum. Alogus secundum Isido-

6) Quod Palatinus 'Horcus' habet, potest a Cornuti auctoritate repeti (cf. schol. Bern.), sed potest etiam merum esse vitium cf. ge. II, 239 harando, ecl. VIII, 7 et ge. IV, 39 horam, ecl. X, 20 huvidus, quos locos ex Ribbeckl indice (p. 421) petivi. Atque inferiore aetate saepius 'horcus' pro 'orcus' scriptum vel pronuntiatum esse testimonio est Serv. in Don. p. 444, 21 '(adicitur) adspiratione: horcus pro orcus; sic enim dicebant antiqui'. Quamquam Keilius fortasse scribendum putat 'Orchus pro Orcus'; contrarium autem tum, non simile hoc loco diceretur ei quod scriptor catholicorum et Servius ad ge. III, 223 et Aen. VI, 3 dicunt, nam verba 'sic enim dicebant antiqui' patet referenda esse ad alteram formam cf. v. 28 'ut arena pro harena; hoc enim verum est, dicta est enim ab eo quod harida sit terra'.

rum et grammaticum Monacensem a Kettnero editum — in anecdoto Parisino explicationem alogi intercidisse iam saepius commemoravi — fuit 'nota quae ad mendas adhibebatur', quod recte H. Schraderum de notat. crit. p. 7 [7]) et Ribbeckium p. 151 ita explicasse puto, ut alogus ibi apponeretur ubi de constituenda scriptura ambigeretur vel adeo desperaretur. Vitiosa autem ut recte Ribbeckius statuit Probo visa sunt verba 'aequore iusso' quae Macrobius VI, 6 eleganter pro 'iussi' Vergilium posuisse censet. Is vel ei qui quae in Servi codicibus legimus quae magnam produnt inscientiam conscripserunt cur Probus locum corruptum iudicasset ignorarunt, quod optime convenit rationi meae Berytium notas suas explicasse negantis.

Porro ad Aen. I, 21 legimus in Servio Cassellano 'in Probi (sc. exemplari) adpuncti sunt; et adnotandum, hi duo si eximantur, nihilo minus sensus erit integer; sed Vergilius amat aliud agens exire in laudes populi Romani' cf. Bergkius l. c. p. 110, qui 'adpuncti' veram scripturam esse et verba 'et adnotandum' cet. Servio tribuenda esse perspexit. De hoc quoque loco permiram protulit sententiam Wollenbergius p. 10, quem refellere operae pretium non est. Id tantum commemorandum est Wollenbergium, ut ostendat ne hoc quidem loco agi de nota critica — omnino enim negat eum Probum qui Vergili carmina ediderit notis usum esse —, inde proficisci, quod in anecdoto Parisino ubi commemoretur obelus superne adpunctus, de qua sola nota possit cogitari, Probus non nominetur. Wollenbergius igitur iam eam viam ingressus est quam nuper iniit Riesius, qui olim de comm. Verg. p. 4 adn. et ipse hanc rationem pravam esse existimavit. Iam quaeritur quamnam notam huic loco Probus apposuerit; nam quod Servius dicit 'in Probi adpuncti sunt' quid sibi velit non statim apparet. Bergkius l. c. damnavisse Probum v. 21 et 22 ratus qua atheteseos nota usus

---

7) Schraderus fusius disputavit de duobus scholiorum Graecorum locis, ubi alogi mentio fit, ad Ar. Vesp. 1282 ubi Heliodoro tribuitur et schol. V Hom. II 613 ubi ad Aristarchum ipsum refertur, quod errore fieri iam multi intellexerunt. — Osannus An. Rom. p. 247 alogum eadem vi adhibitum esse ait qua veteres grammatici usi essent obelo, quod recte reiecit Schraderus p. 8.

esse sibi videretur non indicavit. Riesius de comm. Verg. p. 4 adn. Probum apposuisse putavit obelum cum puncto quem grammaticus Monacensis et Isidorus usurpant obelum superne adpunctum, quae nota ad ea apponebatur, de quibus dubitabatur utrum tolli deberent necne [8]). Sed postquam athetesis notas a Romanis non esse usurpatas sibi persuasit, aliter statuit atque antisigma cum puncto Probum apposuisse putavit (annall. phill. p. 467 adn. 3 cf. p. 472 et 871 sq.); hanc enim notam vim athetesis non habere, sed tantum tautologias indicare atque ad iudicium pertinere statuit. Sed antisigma cum puncto secundum anecdotum ponebatur cum eiusdem sensus versus duplices essent et dubitaretur qui potius legendi essent, cum qua explicatione grammaticus Monacensis et Isidorus fere consentiunt. Hoc autem non possum non ad eiusmodi dittographias referre in quibus dubium fuerit utra scriptura vera esset (cf. Ribbeckius p. 152 et praef. p. VIII). Nam si dubitatur qui versus potius sint legendi constare mihi videtur alterutros damnandos esse. Itaque secundum anecdotum Parisinum et grammaticum Monacensem et Isidorum etiam antisigma cum puncto ad athetesin pertinuit [9]). Contra pro Riesio facere videntur Graeci de notis criticis libelli. Quamquam quod in anecdoto Romano et in Ve-

---

8) Grammatici Graeci hac nota non videntur usi esse. Nam a nota ⸓ diversus est ὁ ὀβελὸς ὁ περιεστιγμένος ⸓ qui in Platonis codicibus apponebatur πρὸς τοὺς εἰκαίους ἀθετήσεις teste Diogene L. III, 39, 66. — Riesius p. 871 has notas confudit.

9) Ratione sua Riesius coactus est etiam asterisco et asterisco cum obelo vim athetesis esse negare (p. 472). Sed ex anecdoto Parisino — 'asteriscum . . . Aristarchus apponebat ad eos versus qui hoc puta loco suo loco ('suo loco' inserere praestare videtur quam cum Reifferscheidio 'recte' addere) positi erant, cum aliis scilicet non recte ponerentur' et 'asterisco cum obelo . . . . Aristarchus utebatur in eis versibus qui non suo loco positi erant' — satis apparet veteres grammaticos alterutro loco versus damnasse. Quod Riesius Graecos de notis criticis tractatus adfert velut anecdotum Venetum, in quo (p. 142 Reiff.) legimus: ὁ δὲ ἀστερίσκος μετὰ ὀβελοῦ ὡς ὄντα μὲν τὰ ἔπη τοῦ ποιητοῦ μὴ καλῶς δὲ κείμενα ἐν αὐτῷ τῷ τόπῳ ἀλλ' ἐν ἄλλῳ inde nihil ratio eius iuvatur: id enim interest inter obelum et asteriscum cum obelo quod obelo apposito damnabantur μὴ ὄντα τοῦ ποιητοῦ, asterisco cum obelo ὄντα μὲν τοῦ ποιητοῦ μὴ καλῶς δὲ κείμενα.

neto legimus *τὸ περιεστιγμένον ἀντίσιγμα* appositum esse *ὅταν ταυτολογῇ* (sc. *ὁ ποιητής*) *καὶ τὴν αὐτὴν διάνοιαν δεύτερον λέγῃ*, adnotandum est hic non de eadem nota agi, neque enim in anecdoto Parisino commemoratur antisigma circumpunctum, sed antisigma cum puncto, diversam autem notam etiam vim diversam habere par est. Atque antisigma circumpunctum quam notam in Platonis codicibus *πρὸς τὰς διττὰς χρήσεις καὶ μεταθέσεις τῶν γραφῶν* usurpatam esse Diogenes Laertius testatur omnino tantum ad Aristarcho inferiores grammaticos pertinere videtur. Tamen iam Aristophanes Byzantinus tautologias adnotavit, quamquam ne is quidem ad eam rem antisigmate cum puncto usus est: Aristophanes eiusmodi locis apponebat sigma et antisigma [10]). Iam vero de ipso Aristarcho in anecdoto Romano legimus: *τῷ δὲ ἀντίσιγμα καὶ τῇ στιγμῇ* (*χρῆται ὁ Ἀρίσταρχος*) *ὅταν δύο ὦσι διάνοιαι τὸ αὐτὸ σημαίνουσαι τοῦ ποιητοῦ γεγραφότος ἀμφοτέρας ὅπως τὴν ἑτέραν ἕληται· τῷ δὲ χρόνῳ καὶ αἱ δύο εὑρέθησαν οὐκ ὀρθῶς ἔχουσαι*, cum quibus conferenda sunt quae in anecdoto Harleiano invenimus: *τὸ δὲ ἀντίσιγμα καὶ αἱ δύο στιγμαὶ ὅταν κατὰ τὸ ἑξῆς δὶς ᾖ τὸ αὐτὸ νόημα κείμενον· καὶ ἐπὶ μὲν τοῦ προτέρου τίθεται τὸ ἀντίσιγμα, ἐπὶ δὲ τοῦ δευτέρου αἱ δύο στιγμαί*, ubi quae de duobus punctis dicuntur falsa sunt cf. Osannus p. 149. Horum igitur locorum altero nihil de athetesi dicitur, altero etiam diserte utramque scripturam poetae esse putatam significatur. Sed cum his locis pugnat schelion Ven. Hom. Θ 535—541 *ὅτι ἢ τούτους δεῖ τοὺς τρεῖς στίχους μένειν οἷς τὸ ἀντίσιγμα παρά-*

10) Satis idoneis enim causis usus Riesius p. 871 sq. mihi videtur statuere Hom. ε 247 sq. ubi hoc habemus scholion: Ἀριστοφάνης τοὺς δύο τούτους στίχους τὸ αὐτὸ ᾤετο περιέχειν ἄμφω· διὸ τῷ μὲν σίγμα τῷ δὲ ἀντίσιγμα ἐπιτίθησιν, Aristophanem de tautologia, non de dittographia cogitasse. Quamquam etiam alia ratione eum eisdem usum esse notis statuendum est, si vera sunt quae legimus schol. Ar. Rann. 153 τινὲς δὲ οὐ γράφουσι τὸν 'νὴ τοὺς θεούς' στίχον ἀλλ' ἀφαιροῦσιν αὐτὸν καὶ τὸν ἑξῆς οὕτω γράφουσιν 'ἢ πυρρίχην τις ἔμαθε τὴν Κινησίου'. διὸ καὶ Ἀριστοφάνης παρατίθησι τὸ ἀντίσιγμα καὶ τὸ σίγμα (cf. Osann. p. 81 sq. Schrader. p. 5 sq.). Nam hoc loco Aristophanes tantum hoc indicare voluisse videtur, hos versus ab aliis esse tentatos. Hoc enim mihi scholi verba satis aperte videntur ostendere.

κεῖται ἢ τοὺς ἑξῆς τρεῖς οἷς αἱ στιγμαὶ παράκειται· εἰς γὰρ τὴν αὐτὴν γεγραμμένοι εἰσὶ διάνοιαν· ἐγκρίνει δὲ μᾶλλον ὁ Ἀρίσταρχος τοὺς δευτέρους .... ὁ δὲ Ζηνόδοτος τοὺς πρώτους τρεῖς οὐδὲ ἔγραψεν. Ex quo scholio manifesto apparet Aristarchum his notis alterutram scripturam utique videri reiciendam, sed nescire se utra scriptura esset reicienda, utra servanda indicasse. Nam prorsus nihil est quod Riesius dicit (p. 872 adn. 5) verba ἐγκρίνει μᾶλλον iam documento esse Aristarchum alteros tres versus non prorsus voluisse deleri: Aristarchus, cum quin aut priores tres versus aut posteriores damnandi essent non dubitaret, utri versus damnandi essent haesitavit — quamobrem non obelis, sed antisigmatis et punctis usus est —, sed ita haesitavit, ut tamen posteriores versus praeferret. Huic scholio autem non est dubium quin plus sit tribuendum quam anecdotorum illorum testimoniis mancis atque corruptis: in Harleiano prave de duobus punctis dici iam commemoravi, in Romano certe verba τῷ δὲ χρόνῳ καὶ αἱ δύο εὑρέθησαν οὐκ ὀρθῶς ἔχουσαι permira videntur; manca sunt quia etiam alia ratione Aristarchus eisdem notis usus esse videtur, nimirum ubi versuum ordo turbatus erat cf. Pluygersius de carm. Hom. veterumque in ea schol. retractanda editione (Lugd. Bat. 1847) p. 3 Osann. p. 147 sq. Schrader. p. 5. Itaque de tota re sic videtur statuendum: Aristophanes tautologias indicavit sigmate et antisigmate, Aristarchus dittographias ubi utra scriptura vera esset dubitabat antisigmatis et punctis signavit, eisdem notis etiam ad turbatum ordinem versuum significandum usus, posteriores grammatici ut ordinem versuum turbatum esse indicarent usi sunt antisigmate (cf. Osann. p. 159), tautologias antisigmate circumpuncto adnotarunt — unde facillime fieri potuit ut hoc etiam Aristarcho tribueretur —, Probus Aristarchum in eis quae adnotavit secutus tautologias adnotare neclexit, sed dittographias, ubi dubium erat utra scriptura vera esset, antisigmate cum puncto notavit, simplici antisigmate in turbato versuum ordine usus est: noluit enim eodem modo diversas res significare.

Iam ut ad Vergili locum redeamus, quoniam versus 21 et 22 quidem salvo sensu omitti possunt, versus 19 et 20 non item, de antisigmate cum puncto, sive anecdoti Parisini expli-

cationem probamus sive anecdoti Romani (*ὅταν δύο ὦσι διάνοιαι τὸ αὐτὸ σημαίνουσαι τοῦ ποιητοῦ γεγραφότος ἀμφοτέρας ὅπως τὴν ἑτέραν ἕληται*), nullo modo cogitari posse appareret. Accedit quod Servius manifesto notas Probi tantum ad v. 21 et 22 refert, cum ad v. 21 adnotet 'in Probi adpuncti sunt et adnotandum hi duo si eximantur' cet. Praeterea ex Servi verbis satis apparet deleri voluisse Probum v. 21 et 22 vel certe de eis dubitasse. Itaque aut duos obelos aut duos obelos superne adpunctos eis apposuit. Atque equidem non video quid obstet quominus de puris obelis cogitemus [11]. Sed illud valde dubito num simplici verbo 'adpuncti' Servius hoc loco uti potuerit: adpungendi verbum quod in lexicis non invenitur quantum equidem scio praeter hunc locum tantum in indice notarum anecdoti Parisini, ubi obelus cum puncto appellatur obelus adpunctus, et in grammatici Monacensis et Isidori obeli cum puncto explicatione legitur: ab his enim obelus cum puncto appellatur obelus superne adpunctus. His locis appungere est 'puncto notare' atque, ut universe 'nota signare' possit significare, eo de quo quaerimus loco ubi secuntur verba 'et adnotandum hi duo si eximantur' cet. accuratam desideramus notae significationem. Itaque haud scio an Servius scripserit 'in Probi [his duobus versibus obeli] appuncti (i. e. appositi) sunt': quam facile a voce 'Probi' librariorum oculi aberrare potuerint ad vocem 'obeli' nemo non videt.

Neque magis quam his duobus locis ubi diserta notarum mentio fit dubitari potest quin Serv. ad Aen. VI in. de editore Probo, non de commentatore sit cogitandum; legimus ibi: 'sane sciendum, licet primos duos versus Probus et alii in quinti reliquerint fine, prudenter ad initium sexti esse translatos' cet., quibuscum conferenda sunt quae adnotata sunt ad V, 871 'scien-

11) Quia duo tantum versus damnandi erant, non erat locus ceraunio. — Ribbeckius p. 152 de simplici obelo cogitari posse negavit; cur ita statuerit, ego non satis intellego, videtur autem cum Wollenbergio p. 10 verba 'et adnotandum' cet. perperam non Servio, sed Probo tribuere, certe p. 142 hoc Servi scholion ut simillimum comparat cum eis quae ad Aen. IV, 418 legimus 'Probus sane sic adnotavit: *si hunc versum omitteret melius fecisset*', quae mea sententia sunt dissimillima.

dum sane Tuccam et Varium hunc finem quinti esse voluisse. nam a Vergilio duo versus sequentes huic iuncti fuerunt, unde in nonnullis antiquis codicibus sexti initium est *Obvertunt pelago proras*'. Itaque Probus coronide quae in fine libri ponebatur et fortasse etiam diple periestigmene qua indicabatur a prioribus editoribus prave aliquid mutatum esse ad versum qui nunc volgo est VI, 2 apposita Vergili ipsius librorum divisionem restituit. Propter quam rem recte eum laudat Ribbeckius proll. p. 95. — Transeo ad locum qui tantum probabiliter Berytio vindicari potest: ad Aen. VI, 177 — tum iussa Sibyllae Haud mora festinant flentes aramque sepulcri (vel 'sepulcro') Congerere arboribus caeloque educere certant — Servius haec adnotat: 'Probus et Donatus de hoc loco requirendum adhuc esse dixerunt' quibuscum si conferuntur quae de phrontido legimus in anecdoto Parisino: 'fi et ro. haec apponuntur quotiens vel emendatio vel sensus (cod. 'eius', 'sensus' coniectura est Bergki annall. phill. 1861 p. 319 comprobata anecdoto Monacensi) versus sollicitius est inspiciendus' — cf. quae idem grammaticus Monacensis et Isidorus tradunt 'phi et ro id est phrontis. haec ubi aliquid obscuritatis est, ob sollicitudinem ponitur'. — verisimile est Donatum in commentario suo adnotasse Probum phrontide apposita indicasse de hoc loco sibi videri adhuc esse requirendum, atque addidisse sibi quoque hunc locum videri obscurum atque suspectum, deinde Servium vel quisquis scholion scripsit haec neclegentius excerpsisse. Phrontidem igitur de cuius notae apud veteres grammaticos Graecos usu nihil est traditum, Probus eis locis apposuit, qui ei obscuri atque suspecti videbantur; itaque id intererat inter phrontidem et alogum, quod ubi phrontis apponebatur, nondum constabat num omnino opus esset emendatione [12]), ubi alogus, emendationem loci in-

12) Ribbeckius proll. p. 156 ubicunque 'quaerere' vel 'requirere' Probum de aliquo loco adnotatum legamus, hanc notam in margine fuisse statuit, sed si Probus quaerit de voce 'pristinus' eadem vi ac 'prior' usurpata (Serv. ad Aen. VI, 473), aut si a Donato (ad Phorm. II, 3, 25) quaerere dicitur quis ante Terentium male loqui pro male dicere dixerit, numquae his et similibus locis est obscuritas quae fortasse requirat emendationem?

certam vel adeo desperandam esse significabatur [13]). Offendisse autem videtur Probus in duabus postremis versus 177 vocibus, ut ex Servi verbis satis apparet 'aramque sepulcri: pyram dicit quae in modum arae construi lignis solebat .... et aram quae ante sepulcrum fieri consuevit, intellegere non possumus ..., cum nondum facta sit funeratio quae praecedit sepulcrum. Probus tamen et Donatus' cet., ex quibus etiam hoc colligitur Probum non legisse 'sepulchro' quod praebent Palatinus Gudianus et fortasse praebuit prima manus Bernensis 165, sed 'sepulchri', quod habent Mediceus Romanus Bernensis 184 Nonius p. 298 M., quod etiam legit Silius Italicus qui Vergilium imitatus XV, 387 sq. dicit 'alta sepulcri Protinus extruitur caeloque educitur ara'. Nam si Probus legisset 'sepulcro' hoc par erat a Donato atque Servio commemorari. Itaque miror Ribbeckium 'sepulcro' non modo recepisse, sed Berytio etiam vindicasse (proll. p. 141 sq.); atque ne illud quidem intellego quomodo difficilior videri potuerit 'ara sepulchri' quam 'congesta sepulchro ara'. — Addam hic locum cui notam antiquitus appositam esse non quidem ex Servio, sed ex aliis testimoniis constat [14]). Nam ad explicationem aversae obelismenae vel aversae cum obelo $\lessdot$ et in anecdoto Parisino et in anecdoto Monacensi atque apud Isidorum appositum est exemplum ex Verg. Aen. X, 88 petitum. Hanc notam Bergkius iam ante inventum anecdotum Parisinum Probo vindicaverat (cf. diar. ant. stud. 1845 p. 110), eodem modo iudicarunt Osannus An. Rom. p. 246 Riesius p. 467 Ribbeckius p. 150 sq., atque sane cum propter totius anecdoti indolem tum quia neminem praeter Probum Berytium scimus qui Vergilium adnotaverit vix dubitari potest quin recte Bergkius statuerit. Usus est autem Probus aversa obelismene, quam grammaticos Graecos usurpasse demonstrari non potest, testibus grammatico Monacensi et Isidoro ad ea adnotanda quae ad aliquid respice-

13) Nullo pacto igitur uni eidemque loco, quod Ribbeckius p. 156 in hoc loco factum esse putat, et alogus et phrontis apponi potuit.

14) Bergkius diar. ant. stud. 1845 p. 110 etiam versui Aen. VIII, 105 olim notam quandam appositam fuisse ex schol. Veron. ad eum versum dubitanter coniecit, quae suspitio minime est verisimilis cf. Ribbeckius proll. p. 163.

rent [15]); anecdoti Parisini verba 'aversa obelismeue in ore ponitur quae ad aliquid respiciunt' corrupta esse patet, sed Osanni coniectura 'in ora' quid lucremur equidem non video, nam ora vel margo nusquam praeterea in anecdoto aut apud grammaticum Monacensem aut apud Isidorum commemoratur, neque 'aversa obelismene ponitur quae' propterea magis puto ferri posse, quod simile vitium in eis invenitur quae de diple periestigmene legimus 'diple per. apponebatur quae Zenodotus non recte adiecerat' ubi rursus grammaticus Monacensis et Isidorus habent 'hanc antiqui i n h i s apponebant quae' cet.; sed hoc loco ante 'adponebatur' facile intercidere poterant verba 'ad ea' [16]), quid de verbis 'in ore' statuendum sit ego nescio.

Una Probi apud Servium commemoratio ad distinctionem pertinet: ad Aen. X, 173 enim — Sescentos illi dederat Populonia mater Expertos belli iuvenes, ast Ilva trecentos Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis — haec Servius adnotat: 'Probus *trecentos* subdistingui vult, ut *insula* sequentibus iungatur'. Hoc quoque loco de Berytio cogitandum videtur ita ut 'subdistingui vult' neclegentius dictum sit pro 'subdistinguit', quamquam qui de Probo commentatore cogitare maluerit, non poterit refelli certis argumentis. Ceterum utrum 'insula' aptius cum eis quae secuntur an cum eis quae antecedunt iungatur disputari potest. — Etiam quae ad Aen. VII, 773 apud Servium legimus, ad Berytium videntur referenda: 'poenigenam] i. e. matris poena genitum. Alii *Phoebigenam* legunt ut Probus', nam Berytium pravitas scripturae 'poenigenam' vix videtur fugere potuisse. Videtur autem coniectura Probus hanc scripturam esse assecutus: aliter vix posset explicari quod in codicibus nostris nullum huius scripturae exstat vestigium, nam quod Mentelianus primus habet 'phoenigneam' num Probi scripturae vestigium sit, valde videtur esse dubium.

---

15) Respicere autem videtur Iuno haec faciens verba 'nosne tibi fluxas Phrygiae res vertere fundo conamur? nos an miseros qui Troas Achivis obiecit?' cet. ad Veneris verba v. 44 'si nulla est regio Teucris quam det tua coniux dura' cet. Quamquam respiciendi notio satis late patet.

16) Nisi pro 'apponebatur' scribendum est 'appungebantur'.

Si autem Probus Berytius in scriptura huius loci a prioribus editoribus atque volgaribus exemplaribus recessit, ei diplen periestigmenen apposuisse putandus est (cf. Ribbeckius p. 139 sq. et 151). — Denique potest etiam de Berytio cogitari apud Servium ad Aen. I, 441 'laetissimus umbra] aut septimus casus est aut secundum Probum genetivus ut sit laetissimus umbrae sicut Sallustius *frugum pabulique laetus ager*'. Hic autem si de Berytio cogitatur, exemplum illud Sallustianum alium grammaticum addidisse statuendum est.

Haec Servi scholia probabili ratione ad Probi Berytii editionem videntur posse referri. Exstant igitur huius quoque editionis reliquiae satis exiguae. Itaque in Vergilio edendo Probus Berytius quantum libris vetustis, quantum suo iudicio tribuerit, atque omnino quomodo in ea re versatus sit et quid profecerit, non satis possumus definire.

Iam ad vetustorum scriptorum editiones transeundum est Maximo autem opere dolendum est quod de his Berytii studiis quibus maxime deditus erat tam pauca exstant testimonia. Atque Ennium eum edidisse ex anecdoti verbis non certo potest effici, sed ex diplae obelismenae explicatione — diple obelismene (ponitur) ad separandas in comoediis et tragoediis periodos — colligitur eum edidisse poetas scenicos. Atque Plautum a Probo Berytio editum esse tantum suspicari possumus, de Terentio demonstrari potest. Nam Probi sententia eaque non ad enarrationem, sed ad verborum inter personas divisionem pertinens diversae Aspri sententiae praeponitur a Donato ad Ad. III, 2, 25 (323): 'Quid festinas mi Geta] Probus assignat hoc Sostratae. Asper non vult ad omnia servum respondere, sed nutricem putat hoc loqui', quae verba multis corrupta visa sunt, offensioni enim fuisse Aspro putaverunt quod domina servum blandius 'mi Geta' appellaret. Sed nisi gravissimis mutationibus hic sensus e codicum verbis elici nequit. Mihi nulla videtur opus esse mutatione, sed optimum sensum codicum verba praebere existimo. Nemo enim adhuc id videtur attendisse quod Donatus tantum de verbis 'quid festinas mi Geta?' loquitur, non de verbis 'quid festinas mi Geta? animam recipe': de ver-

bis 'quid festinas mi Geta?' tantum Probum et Asprum ait dissensisse, verba 'animam recipe' Donatus Sostratae tribuit neque quidquam diversae sententiae facit mentionem. Itaque verba 'animam recipe' Asper non minus quam Probus Sostratae tribuit, tantum verba 'quid festinas mi Geta?' ad Cantharam nutricem rettulit. Iam apparere puto quid sibi velint verba 'Asper non vult ad omnia servum respondere', nimirum Asper tam commotum atque perturbatum Getam fuisse voluit ut verbum proloqui non posset. Atque cum postea Geta vel singula vel pauca verba aegre emittat, recte de hoc loco Asprum iudicasse puto. Itaque verbis 'mi Geta' Sostratam Getam compellare neque Probo neque Aspro fuit offensioni, neque video cur non servom era sic potuerit compellare qui solus omnem familiam (v. 481) sustentabat, praesertim hoc loco ubi Sostrata hac compellatione efficere studuit ut Geta se ipse ad se revocaret: hoc enim si verba 'quid festinas mi Geta? animam recipe' Sostratae tribuuntur statuendum est. Sed ut vidimus verior est ratio Aspri. — Praeterea de Probo Berytio cogitandum videtur Don. ad Enn. I, 1, 1 'non eam, ne nunc quidem] non eam Probus distinguit, iungunt qui secundum Menandri exemplum legunt'. Habemus igitur hoc loco hominem Latinae orationis vim recte exemplaris Graeci putidae imitationi praeferentem. — Reliqui loci ubi Donatus Probi mentionem facit non ad editorem, sed ad commentatorem pertinent; de his igitur postea dicam.

Ad alterum Berytii scriptorum genus Suetoni verba haec pertinent 'nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis edidit', quae quomodo mihi videantur explicanda iam supra indicavi. Hi Probi Berytii libri etiam duriore fortuna editionibus conflictati sunt: nam mihi quidem persuasum est ne unam quidem eorum superesse inscriptionem.

Aeque observationum sermonis antiqui, quod tertium Probi Berytii scriptorum genus fuit, nego ullas exstare reliquias, id est quamquam posteriores grammaticos his libris multum usos esse minime negaverim, tamen apud eos quidem grammaticos quorum scripta servata sunt nihil puto exstare quod certo Berytio possit vindicari. Ipsa autem horum librorum inscriptio vetat,

ne cum H. Keilio catholica aut instituta artium in codicibus Probi nomine inscripta ex his libris nata esse putemus: nam catholica et instituta artium non ad sermonem anticum, sed ad sermonem universum pertinent. Sed Keili opinio infra accuratius erit refellenda. Itaque iam de Probi minoris scriptis eorumque reliquiis videtur esse disputandum.

Cap. IV.

De Valeri Probi minoris scriptis quae non ad grammaticam quam proprie appellamus pertinebant eorumque reliquiis.

Valeri Probi minoris scripta in duas nobis dividenda sunt partes, in ea quae ad sermonis scientiam pertinebant atque in ea quae ad alias res pertinebant. De illis tum demum certius iudicare licebit, postquam quid de catholicis, quid de institutis artium statuendum sit, viderimus. Itaque hic tantum de altero genere disputandum est, quod potissimum in commentariis scriptorum constitit. Ac primo loco commemorandi sunt commentarii in Terentium compositi. Perpetuis quos vocamus commentariis Terentium a Probo esse inlustratum apparet ex Donati ad Phorm. I, 3, 3 (155) adnotatione: 'incogitans] temerarius. Probus *incogitans*, inquit, *in usu est*, *at non eodem modo cogitans*'. Cum autem Probum minorem commentariis componendis operam dedisse ex eis quae supra disputavi satis videatur apparere, non videtur posse dubitari, quin hi commentarii Terentiani Probo Martialiano atque Gelliano sint tribuendi. Praeter illum autem locum et duos locos quos Berytio vindicavi quinque commentariorum Donati locis Probus commemoratur, quos omnes ad Probum minorem puto pertinere. Atque tribus locis 'quaerere' dicitur Probus, quo tamen verbo non omnibus tribus locis idem significatur. Nam quod ad Phorm. V, 8 (9), 16 (1005) Donatus haec adnotavit: 'mi homo, di melius duint] quaerit Probus an matrona tam familiariter *mi homo* recte dicat alieno, sed frustra. nam feminarum oratio, etsi non blan-

ditur, blanda est', Probum haec tantum patet adnotasse: 'num matrona tam familiariter *mi homo* recte dicit alieno?'; atque eodem modo ad II, 3, 25 (372) — Pergin ero absenti male loqui impurissume? —, ubi apud Donatum legimus: 'male loqui pro male dicere. et quaerit Probus quis ante Terentium dixerit', haec tantum Probus videtur adnotasse: 'quis (vel 'numquis') ante Terentium male loqui pro male dicere dixit?' Contra ad Andr. V, 3, 4 (875), ubi Donatus adnotat: 'ain tandem] quaerit Probus ain quae pars orationis sit et an una sit. est autem ain quasi aisne', verisimile est fusius Probum de voce 'ain' disputasse atque id ipsum quod Donatus dicit 'ain' esse 'aisne' demonstrasse. Duplicem hanc vim in verbo quaerendi inesse iam supra significavi, ubi Suetoni verba 'nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis edidit' explicare studui. Fugerat igitur grammaticum aetatis suae doctissimum iam apud Plautum nonnunquam 'male loqui' pro 'male dicere' positum inveniri velut Capt. 564 cf. Westerhofius ad Terenti locum. Ceterum haec quaestio atque ea quam ad Phorm. 1005 movit ad κρίσιν pertinent, cui admodum deditum fuisse hunc Probum ex Martialis loco intelleximus. Restant duo Donati loci: ad Hecyr. prol. I, 2 (2) et Phorm. I, 1, 15 (49). Illo loco haec Donatus habet: 'vitium et calamitas] bene secundum augures. vitium enim est, si tonet tantum, vitium et calamitas, si tonet et grandinet simul et etiam fulminet. vitium et calamitas] translatio est ab augurio et vitio creati dicuntur consules. calamitas παρὰ τὴν καλάμην dicitur, clades quia clamatur: ut aliud sit grandinis culmum frangentis, aliud furti aut doli mali. sic Probus'. Patet tantum alterum scholium ad Probum pertinere, ac nisi fallor ne hoc quidem totum Probo est tribuendum, sed tantum ea quae de calamitate et clade dicuntur. Ex quibus satis apparet Probo minori non magis quam Varroni aut alii cuilibet grammatico veteri originationem verborum successisse. Denique ad Phorm. I, 1, 15 (49), quem locum Riesius de comm. Verg. p. 8 Probi commemorationibus Donatianis a Suringaro collectis (hist. crit. scholl. Latt. I, 98 sq.) addidit, legimus: 'ubi initiabunt] legitur apud Varronem initiari pueros Eduliae et Poticae et Cubae, divis edendi et potandi et cubandi, ubi primum a lacte et a cunis

transierunt; quod Vergilius (ecl. IV, 63): *nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.* hoc adnotavit Probus. sed Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur, in insula Samothracum a certo tempore pueros initiari more Atheniensium, quod ut in palliata probandum est magis'. Quae qui adnotavit quin rectum viderit non videtur posse dubitari. Adnotandum autem est Probum utrumque (cf. Don. ad Eun. I, 1, 1) in Terentio tractando Romanarum potissimum rerum rationem habendam esse censuisse videri. — Iam praeter eos Donati locos ubi nominatur Probus, quorum locorum omnium aut hoc loco aut supra ubi de Berytii editione disputavi ratio est habita, multas alias etiam utriusque Probi reliquias apud Donatum exstare perquam est verisimile. Sed commentariorum qui sub Donati nomine feruntur fontes tum demum accurate indagari poterunt, cum ipsi commentarii accurate editi erunt. A meo autem consilio haec quaestio eo magis aliena est, quod antea de disertis veterum testimoniis conveniat necesse est quam apte id agi potest ut reliquiae coniecturis augeantur. — Praeter sex Donati locos ad Probi minoris studia Terentiana etiam pertinere videtur Probi commemoratio apud Rufinum de metris p. 2713 P. I § 30 G., ubi ei enumerantur qui metrum in fabulis Terenti et Plauti ac ceterorum comicorum et tragicorum esse dixerint.

De aliis poetis antiquis a Probo minore enarratis nihil est traditum, transeamus igitur iam ad commentarios in Vergilium compositos. Atque primum considerandum est quae Probi apud Servium, in scholiis Bernensibus, in scholiis Veronensibus commemorationes ad Probi minoris commentarios Vergilianos sint referendae, deinde quid de commentario in bucolica et georgica qui M. Valeri Probi nomine volgo inscribitur statuendum sit. Iam in scholiis Veronensibus ter Probus commemoratur: ad Aen. II, 173 IX, 369 IX 373, in quibus locis omnibus de Probo minore mihi cogitandum videri iam supra indicavi. Atque ad Aen. IX, 373, cum post Asprum Probus commemoretur, si ratio mea vera est, dubitari non potest quin Probus minor sit intellegendus: de verbis 'Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra Prodidit' hanc Asper proposuerat quaestionem: 'sublustri] utrum non nubila inlustrique? nam sub pro parum ponitur:

Lucilius *facti subpudet.* an pro sub inlustri positum? ut *namque sub ingenti lustrat dum singula templo reginam opperiens* (Aen. I, 453)'. Dubitaverat igitur Asper de verbo 'sublustris', quod praeter hunc locum usquam legi non meminerat, atque hanc Aspri dubitationem Probus minor solvit adlato exemplo Horatiano 'nocte sublustri nihil astra praeter vidit et undas' (Carm. III, 27, 31 sq.). Unde apparet ea quae Servius ad hunc locum adnotat: 'sublustris nox est habens aliquid lucis, Horatius *nocte . . . undas*' e Probi commentariis petita esse cf. Ribbeckius proll. p. 145. — Deinde ad Aen. II, 173 — salsusque per artus Sudor iit — scholiasta Veronensis haec adnotat: 'Probus malo epitheto putat usum poetam, critici vero naturalia epitheta a poetis nusquam inhoneste putant locari', quibuscum conferenda sunt Serviana haec: 'Probo sane displicet salsus [1]) et supervacue positum videtur'. Habemus igitur rursus hominem severo iudicio utentem qualem supra Probum minorem cognovimus, atque etiam paullo severius hoc loco eum iudicasse Wagnerus philol. XVI, 541 et Ribbeckius proll. p. 144 consentiunt. — Neque magis quam hoc loco de Berytio cogitari potest in eis quae ad Aen. IX, 369 — Ibant et Turno regi responsa ferebant — legimus: 'hoc loco adnotant Probus et Sulpicius contrarium illi esse (VII, 600) *sepsit se tectis rerumque reliquit habenas*', quam sententiam auctorum nominibus non additis impugnat Servius ad v. 367. Recte autem Ribbeckius p. 143 statuit Probum hoc loco idem invenisse quod in omnibus bonis libris exstare dici Servius Parisiensis testetur 'ibant et Turno r e g i s responsa ferebant', aliter enim non potest intellegi quomodo hi versus sibi contrarii esse putari potuerint. Sed quod Ribbeckius Probum putat pro 'regis' scripsisse vel scribi voluisse 'regi' quod nunc in omnibus invenitur libris manu scriptis, eius rei ego prorsus nullum reperire possum indicium, immo mihi scholiastae Veronensis verba non videntur permittere ut ita statuamus. Videtur igitur Probus hoc loco tantum vituperasse quod versus illi essent contrarii, non emendando hoc vitium tollere conatus esse. Sulpicium Apollinarem

1) Vox 'sudor' quae post 'salsus' volgo legitur delenda videtur.

Probi de hoc loco sententiam adversus Caesellium Vindicem defendisse, Servium autem in Probi sententia impugnanda Caeselli Vindicis vestigia sequi probabiliter conicit Ribbeckius p. 173 sq.

Iam ut ad Servium transeamus primum de eis videtur dicendum esse quae de scripturis Probi minoris Servius tradidit. Itaque ad Aen. I, 44 — Illum exspirantem transfixo pectore flammas — haec invenimus adnotata: 'Probus et tempore legit (fortasse pro 'et' scribendum est 'e' ut Probus 'transfixo e tempore' legerit; certe Probum dubitasse utrum 'pectore' an 'tempore' verum esset vel ipsum Vergilium utrumque reliquisse existimasse satis miro modo esset significatum) ut ipse (IX, 588) *liquefacto tempora plumbo.* sed qui legunt pectore, de Attio translatum affirmant qui ait in Clytaemnestra de Aiace *in pectore fulmen incohatum flammam ostentabat Iovis.* qui tempore legunt, de topica (ita ex Cassellano codice restituit Bergkius) historia tractum dicunt: nam Ardeae in templo Castoris et Pollucis in laeva intrantibus post fores Capaneos pictus est, fulmine per utraque tempora traiectus; et singulare nomen pro plurali. totius autem Italiae curiosissimum fuisse Vergilium multifariam apparet'. Omnia quae Servius de eis qui 'tempore' legant dicit ad Probum referenda esse Bergkius primus perspexit (diar. ant. stud. 1845 p. 123 cf. Ribbeckius proll. p. 141). Hoc autem loco non est dubium quin Probus erraverit. — Neque magis recte tractavit Aen. VIII, 406 — placidumque petivit Coniugis infusus gremio per membra soporem —, ubi ipsum et Carminium propter sensum cacemphaton 'infusum' legisse Servius ait, ut sensus esset 'dormiit cum coniuge dormiente i. e. petiit soporem infusum etiam in (haec particula delenda est) coniugis gremio'. Ad hunc locum tentandum recte Ribbeckius p. 141 Probum suspicatur videri inductum pravo Cornuti exemplo, cui membrorum mentio minus cauta visa esset (Gell. IX, 10 extr.). — Deinde Aen. X, 303 ubi volgo scribitur 'Namque inflicta vadis dorso dum pendet iniquo' Probus legit 'vadi' ut ex Servi verbis 'Probus vadi dorso pro vado dictum putat ut in georgicis (III, 436) *dorso nemoris*' apparet cf. Ribbeckius p. 140, qui recte Probi scripturam traditam memoriam appellat, nam

etiam Servius sic videtur legisse, quamquam in nostris codicibus nullum huius scripturae exstat vestigium, nisi quod in Palatino legitur VADI (S superscript). — Aen. X, 539 ubi Asper scripturam 'Totus conlucens veste atque insignibus armis' adlato exemplo Sallustiano 'equo atque armis insignibus' frustra defenderat, Probus minor recte scribendum ait 'insignibus albis' ut vestes albae intellegerentur quae sacerdotibus essent congruae cf. Ribbeck. p. 129 et 140. — Ad Aen. XI, 566 — Dat sese fluvio atque hastam cum virgine victor Graminoo donum Triviae de cespite vellit — in Servi codice Parisino 7929 haec legimus: 'Probus aut cespite aut cespite pro campo, scilicet quod cespes gleba sit' quae cum manifesto corrupta sint, Ribbeckius p. 141 scribendum esse putat 'aut cortice aut' cet. conlato v. 554 'huic (telo) natam libro et silvestri subere clausam implicat'. Quod ego nullo pacto Probo tribui posse existimo quoniam v. 566 non de virgine sola, sed de hasta cum virgine agitur. Quomodo autem Servi verba sint emendanda, nescio. — Ad Aen. XI, 830 — tum frigida toto Paullatim exsolvit se corpore lentaquo colla Et captum leto posuit caput arma relinquens Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras — Servius adnotat: 'arma relinquens] alii arma relinquunt legunt. Probus hypallagen vult vel contrarium ut ipsa relinquit. alii arma relinquunt laudant dictum i. e. illa decidebant e manibus Camillae exanimi', unde recte Ribbeckius ad h. l. et proll. p. 140 effecit Probum in libris suis invenisse 'relinquont', quod recte negat ex 'relinquens' aut 'relinquit' quae in nostris codicibus legantur fieri potuisse. Videtur autem hoc loco ut saepius Probus minor Vergilium vituperasse. — Donique ad Aen. XII, 605 — Filia prima manu flavos Lavinia orines Et roseas laniata genas — haec Servius adnotat: 'antiqua lectio floros habuit i. e. florulentos pulchros. et est sermo Ennianus. Probus sic adnotavit *neotericum* [2]) *erat flavos, ergo bene floros, nam sequitur et roseas laniata genas.*

2) Cf. Serv. ad Aen. VIII, 731 'hunc versum notant critici quasi superfluo et inutiliter additum nec convenientem gravitati eius, namque est magis neotericus' et Pseudoascon. ad Cic. divin. in Caecil. 4, 15 'hoc quidam leviter a Cicerone dictum et neoterice putant'.

Accius in Bacchis (v. 255 Ribb.): *nam flori crines video ut propexi iacent; in eisdem* (v. 246): *et lanugo flora nunc demum inrigat; Pacuvius Antiopa* (v. 18 sq.): *cervicum floros dispendite crines* (cf. Ribb. ad h. l.)'. Atque floros veram scripturam esse recte statuit Ribbeckius p. 139. Defendit igitur hoc loco Probus minor antiquam et veram scripturam, cuius in codicibus nostris nullum certum exstat vestigium (cf. Ribb. l. c.). — Haec de Probi minoris scripturis apud Servium tradita sunt, nam quod ad Aen. I, 1 adnotatur 'Probus ait Troiam Graios et Aiax non debere per unam i scribi' neque ad Probum Berytium neque ad Valerium Probum minorem pertinere infra me demonstraturum esse confido. Iam paucis videtur quaerendum esse, quomodo in locis illis tractandis Probus minor versatus sit. Itaque ut Aen. IX, 369 teste scholiasta Veronensi in libris eis quibus usus est invenit 'regis', ita Aen. X, 303 invenit 'vadi', XI, 830 'relinquont'; XII, 605 scripturam variam videtur invenisse, 'floros' et 'flavos', praetulit autem verum et anticum 'floros'. Scripturas 'e tempore' vel 'tempore' Aen. I, 44 et 'insignibus albis' X, 539 incertum est utrum in nonnullis libris invenerit an coniectura assecutus sit. Iam vero VIII, 406 non potest dubitari quin ubique invenerit 'infusus', non 'infusum'. Iudicio igitur suo interdum paullum indulsisse [3]) Probum minorem non videtur posse negari, sed ut hoc concedo ita nullo pacto Wagneri iudicio possum assentiri qui philol. XVI p. 541 non ita valde censet dolendum quod tantum de paucis locis quid Probus [4]), iudicaverit constet; quod iudicium mihi multis partibus

3) Omnino Romani ad emendandum paullo promiores videntur fuisse cf. Quint. IX, 4, 39 'quae in veteribus libris reperta mutare imperiti solent et dum librariorum insectari volunt inscientiam suam confitentur' et IX, 4, 74: 'T. Livius hexametri exordio coepit: facturusne operae pretium sim. nam ita edidit estque melius quam quomodo emendatur' et Gell. XX, 6, 14 'et idcirco inportunissime fecerunt qui in plerisque Sallusti exemplaribus scripturam istam sincerissimam (vestrum) corruperunt. nam cum ita in Catilina (c. 33, 2) scriptum esset *saepe maiores vestrum miseriti plebis Romanae*, *vestrum* obleverunt et *vestri* superscripserunt. ex quo in plures libros mendae istius indoles manavit' atque praeterea I, 7 et II, 14.

4) Wagnerus de Berytio cogitat, sed omnes loci quorum rationem habet ex mea ratione ad Probum minorem pertinent.

iusto acerbius videtur. Sane multo magis etiam quam quod non de pluribus locis quid Probus minor statuerit constat, illud est dolendum, quod de paucis tantum locis constat quid in libris suis invenerit. Optimis enim libris eum usum esse non ut de Probo Berytio coniciendum est, sed demonstrari potest. Nam Gell. XIII, 21, 4 ipse Probus minor praedicat primum georgicon librum se legisse manu ipsius Vergili correctum, neque quidquam est, cur non eius verbis fidem habeamus; nam et Plinius n. h. XIII, 12, 83 (26) se vidisse ait manus Ciceronis atque Augusti Vergilique quin etiam Tiberi Gaique Gracchorum, et Quintilianus I, 7, 22 autographas Augusti epistulas affert et § 20 Ciceronem quoque et Vergilium caussae cassus divissiones scripsisse manus eorum docere ait, et Suetonius non modo Neronis chirographa vidit cf. Ner. 52, verum etiam Augusti epistularum autographarum mentionem facit Aug. 71 et 87. Etiam IX, 14, 7 a Gellio commemorantur qui scripserint idiographum librum Vergili se inspexisse, quem locum, cum ibi quoque de versu aliquo primi georgicon libri agatur, satis probabiliter ad Probum potissimum spectare coniecerunt Riesius ann. phill. 1866 p. 469 adn. 7 et Ribbeckius proll. p. 137. Itaque Probus minor ge. I, 25 in idiographo Vergili libro repperit 'urbisne', non 'urbesne' et ge. I, 208 'dies', non 'die'. Atque cum Aen. III, 106 Vergilium scripsisse 'urbes', Aen. II, 460 'turrim', Aen. II, 224 'securim' priore Gelli loco non minus confidenter dicat quam ge. I, 25 eum scripsisse 'urbis', recte Ribbeckius his quoque locis optimae fidei exemplar eum statuit inspexisse.

Iam transeundum videtur ad eos locos ubi vituperasse Vergilium Probus a Servio dicitur. Duos huiusmodi locos scholiorum Veronensium supra commemoravi, apud Servium invenimus quattuor. Atque ad Aen. IV, 359 — vocemque his auribus hausi — haec Servius adnotat: 'his auribus hausi] accepi. et est pleonasmos. haurit enim pro percipit ponebant veteres et ideo qua potissimum parte sensus percipiant adiungunt ut *simul hoc animo hauri* (XII, 26) et *hauriat hunc oculis ignem* (IV, 661). Probus enim ait *nemo haurit vocem*'. Ribbeckius p. 144 addenda putat verba 'nisi auribus', ita ut Probus pleonasmum observarit, quo auribus vox hauriri diceretur quasi id

alio quoque modo fieri posset; idem enim Servium ad I, 208 et 614 animadvertisse; nec vitium esse, sed affirmationis gratia supervacuum addi Quintilianum VIII, 3, 54 docere similemque Probi de hoc loco sententiam videri fuisse, cuius vel in Donati ad Ter. Hec. III, 3, 3 adnotatione levis umbra videatur redire. Sed ego prorsus non video, quid effici possit ex adnotationibus Servi ad locos illos ubi veri pleonasmi (voce refert, ore locuta est) inveniuntur, nam Probi exemplum Servium secutum hos locos diversi generis contulisse nullo modo mihi possum persuadere, Donatus autem — partim quae perspexi his oculis] his quasi miseris vult intellegi quibus perspexi vel audivi mala. an sic dictum est ut apud Vergilium, vocemque his auribus hausi? — quid de Vergili verbis iudicet parum apparet. Neque omnino video cur non Probo ipsa locutio vocis hauriendae potuerit displicere. — Deinde ad Aen. IV, 418 — Puppibus et laeti nautae imposuere coronas — apud Servium legimus: 'Probus sane sic adnotavit: *si hunc versum omitteret, melius fecisset*', ubi cum ipsa Probi adnotationis verba afferantur, de Berytio non magis potest cogitari quam eo loco de quo commodum disputavi. Vituperavit igitur Probus versum IV, 418, de eo delendo nullo pacto cogitavit, puto propterea quod in omnibus exemplaribus hunc versum invenit, est autem idem versus atque ge. I, 304. Melius autem hunc versum Vergilium omissurum fuisse non propterea puto Probum statuisse, quia laeta puppium a nautis coronatarum imago minus commode in tristi Didonis oratione insereretur, quod Ribbeckius p. 142 putat — prorsus enim non intellego quomodo ita Probus potuerit iudicare —, sed quia naves coronare non esse fugientium existimabat, nam in hac re fuisse qui offenderent ex hoc Servi scholio apparet: 'coronas] multi funium coronas accipi volunt qui solent quotiens navigatur in modum coronarum componi, nam fugientes quemadmodum naves coronabant?' Atque si consideramus cum vix tempus suppetivisse ad puppes coronandas eis de quibus recte v. 399 dictum esset 'frondentesque ferunt remos et robora silvis infabricata fugae studio', tum non potuisse non magnopere offendi Didonem navibus ita coronatis, omnem autem offensionem Troianis fuisse vitandam, Probum habuisse cur versum 418

vituperaret statuendum videtur. — Aen. V, 432 'vastos quatit aeger anhelitus artus' Probum minorem locutionem 'aeger anhelitus' vituperasse ex Servi ad IX, 814 adnotatione hac colligitur: 'fessos quatit aeger anhelitus] Probus ait *commodius hic est aeger quam in quinto vastos quatit aeger anhelitus artus, quamvis consuetudo sit Vergilio ista mutandi.* quidam acer legunt et volunt in quinto aeger aptius dictum de sene, hic de iuvene acer melius convenire'. Minus igitur apte V, 432 pugili, licet senex esset, aegrum anhelitum tribui Probus putavit, aptius IX, 814 de Turno fesso commemorari ratus. Ex verbis autem 'quamvis consuetudo sit Vergilio ista mutandi' miror Ribbeckium p. 141 efficere in quinto libro Probum fortasse 'acer' praestare indicasse, cum mihi quidem ex his verbis propter ea quae antecedunt id tantum effici posse videatur in nono libro Probum minorem de scriptura 'aeger' dubitasse; ne in quinto libro, cum ibi ei 'aeger' magis vituperandum esse videretur, de corruptela cogitaret, fortasse librorum suorum auctoritate deterritus est. — Denique teste Servio ad Aen. XI, 554 Probus minor Vergili de Camilla a Metabo patre super rapidum amnem vibrata narrationem ἀπίθανον πλάσμα esse iudicavit.

Sed praestantissimum ac gravissimum Probi minoris de singulis locis indiciorum exemplum non Servius servavit, sed Gellius IX, 9, 12 sqq. Atque ut hoc statim loco de eo dicam, Gellius ibi se meminisse ait audisse se ex Valeri Probi discipulis solitum eum dicere nihil quicquam tam inprospere Vergilium ex Homero vertisse quam versus amoenissimos quos de Nausicaa Homerus fecisset (ξ 102 sqq. coll. Verg. Aen. I, 498 sqq.); primum enim Nausicaam ludibundam inter familiares puellas in locis solis recte atque commode conferri cum Diana venante in iugis montium inter agrestes deas, Didonem in urbe media ingredientem inter Tyrios principes cultu atque incessu serio instantem operi regnisque futuris non item; deinde Homerum studia atque oblectamenta in venando Dianae honeste aperteque dicere, Vergilium venatus dese nulla facta mentione pharetram tantum eam ferre in humero dicere tamquam esset onus et sarcina; tum Homericam quidem Latonam gaudium gaudere genuinum et intimum atque in ipso penetrali cordis et animae vigens, Vergilium

fecisse gaudia pigra et levia et cunctantia et quasi in summo pectore supereminentia; denique florem totius loci Vergilium omisisse quod hunc versum exigue secutus esset: ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται καλαὶ δέ τε πᾶσαι. Cuius disputationis subtilissimae si memor fuisset, Wagnerus non tam contemptim de Probo iudicasset. Licet autem verum sit, quod Gellius se haec ex discipulis Probi ait audisse, vix tamen videtur posse dubitari quin etiam in commentariis suis hunc Vergili locum vituperaverit, id quod etiam dubitanter suspicatur Ribbeckius p. 143. Exstant etiam apud Servium huius Probi de versibus illis iudici vestigia. — Initio eiusdem capitis Gellius ipse similiter binos bucolicon Theocriti et Vergili (ecl. III, 64 sq. et IX, 23 sqq.) locos confert quae ex eodem fonte hausta esse fortasse recte Ribbeckius conicit p. 143. Sed non possum concedere Kretzschmero (de Gelli fontt. I p. 91) ea quae proximo capite Annianus poeta de Verg. Aen. VIII, 404 sqq. rursus Homeri comparatione adhibita disputat, Probo deberi: Annianus poeta fuit quidem vel sectator vel discipulus Probi minoris (Gell. VI, 7, 3), sed idem summis assiduisque laudibus versus illos ad Volcanum et Venerem iunctos mixtosque iure coniugi pertinentes efferebat, in quibus Probum minorem propter cacemphaton etiam mutandum censuisse 'infusus' in 'infusum' supra vidimus. Quamobrem satis mirum est Ribbeckium[5]) p. 143 Kretzschmero assentiri.

Transeo ad eos locos ubi 'quaerere' Probus minor a Servio dicitur, ad Aen. III, 83 VI, 473 VI, 782 X, 18, qui loci rursus ita differunt, ut duobus prioribus de simplicibus agatur quaestionibus, duobus posterioribus de disputationibus fusioribus. Atque ad III, 83 — Iungimus hospitio dextras et tecta subimus — haec invenimus adnotata: 'hospitio licet Probus quaerat quid sit *iungimus hospitio dextras* tamen septimus casus est i. e. iure hospitalitatis. nam ad hospitium non potest intellegi quia iam amicus fuit'. Itaque haec fere (cf. Serv. ad Aen. XI, 601) Probus adnotavit: 'quid est *iungimus hospitio dextras?* utrum est iure

5) Ribbeckius cum p. 141 in vituperandis eis versibus pravom Cornuti exemplum Probum secutum videri ut mihi videtur recte statuat, p. 143 Annianum in refutando Cornuto Probi vestigiis institisse putat.

hospitalitatis an ad hospitium?' [6]). — Deinde ad VI, 473 — coniux ubi pristinus illi Respondet curis — haec legimus: 'pristinus] prior quod difficile invenitur, nam de hoc sermone quaerit et Probus et alii'. Itaque haec fere in Probi commentariis inveniebantur: 'quis praeter Vergilium pristinus pro prior dixit?' (cf. Donat. ad Ter. Phorm. II, 3, 25). Frustra autem hoc Probum quaesivisse indicat Ribbeckius p. 144, sed vellem locum commonstrasset, ubi eodem modo pristinus de re quae ante alteram fuit dictum esset; proprie enim pristinum id vocatur, quod olim fuit, de altero quod locum illius occupaverit non cogitatur; neque cum hoc loco conferri posse puto IV, 458 ubi legimus 'coniugis antiqui', nam antiqua eo differunt a pristinis quod fere opponuntur novis. De Aenea autem Vergilium omnino non cogitasse, cum Sychaeum diceret pristinum atque anticum Didus coniugem, quamvis Aen. IV, 338 Aeneas dicat 'nec coniugis umquam Praetendi taedas aut haec in foedera veni', non facile puto quemquam Ribbeckio esse crediturum. — Ad fusiorem disputationem 'quaerere' pertinere videtur ad Aen. VI, 782 — En huius nate auspiciis illa incluta Roma Imperium terris animos aequabit Olympo —: 'animos aequabit Olympo] magnanimitate aequabitur caelo. de hoc autem loco et Trogus et Probus quaerunt'. Perquam est verisimile Probum ad hunc locum etiam aliorum locorum ratione habita fusius exposuisse de Olympi apud Vergilium significatione. Ad hanc autem disputationem adhibuisse videtur Trogi Pompei de hoc loco sententiam nescio quam, fortasse initio libri XXXXIII historiarum Philippicarum ubi de urbis primordiis egit propositam, ut coniecit Gutschmidius ann. phill. suppl. II p. 192 cf. Ribbeckius p. 145. — Denique ad X, 18 — O pater, o hominum rerumque alterna potestas — haec Servius adnotat: 'hunc locum Probus quaerit [7]), sed dicit unam rem secundum physicos, alteram secundum mathematicos. nam divom potestas est, quia ipse est aether qui elementorum

6) Potuit etiam sic adnotare 'hospitio utrum casus septimus est an dativus?' Septimum certe casum iam Quintilianus I, 4, 26 commemorat.

7) 'Locum quaerere' similiter dictum est atque 'locum adnotare' in Probi qui fertur comm. p. 15, 24 K. pro 'loco adnotationem adponere' (Macrob. Sat. V, 19 in.).

possidet principatum, hominum vero ideo, quia bona Iovis inradiatio honores hominibus tribuit. aeterna autem [potestas[8])] adiecit propter aliorum numinum discretionem. nam legimus et Apollinem deposuisse divinam potestatem et Herculem vel Liberum patrem non semper deos fuisse. unde et deae arborum cum arboribus vivunt et cum arboribus dicuntur mori, quocirca et Ἁμαδρυάδες sunt appellatae. sicut autem hominum et rerum potestas est. an quemadmodum pro rege vel magistratu potestas solet dicere? (scr. 'dici', cf. schol. Ver. ad h. l. 'potestas pro eo penes quem et hominum et deorum potestas est aut quomodo potestas in consuetudine pro rege poni vel imperio vel magistratu solet')'. De hoc Servi loco Ribbeckius p. 145 haec dicit: 'philosophiam Probus tetigit illustrando versiculo *o pater, o hominum rerumque aeterna potestas*, nec dubito quin Servius copiosae disputationis (qualem in ipso Probi commentario ad ecl. VI, 31 legimus) summam tantum delibaverit'. Quae in universum rectissime disputata esse puto, sed unum Ribbeckium non animadvertisse miror, neque scholiastam Veronensem neque eum qui Probum commemorat neque Probum ipsum legisse videri 'o pater, o hominum rerumque aeterna potestas', sed 'o pater, o hominum divomque aeterna potestas', quod etiam legit scholiasta Horati Carm. III, 1, 5 et quod exhibent Bernensis 184 Minoraugiensis et in rasura Bernensis 165, in cuius margine invenitur 'ł regũq'; littera g correcta in r. Servi autem vel eius qui Probum memoravit, disputationem patet certe non ultra verba 'sunt appellatae' pertinere, atque hanc disputationem quominus ex Probi commentariis excerptam esse putemus, particulam 'sed' non puto impedire, utique autem hunc locum ita Probus statuendus est inlustrasse, ut philosophiam attingeret: hoc enim iam ex verbis 'hunc locum Probus quaerit' colligitur.

Atque hae disputationes copiosiores iam ad interpretationem pertinent, ad quam praeterea spectant Probi fragmenta ad Aen. III, 3 VII, 543 X, 182 XII, 174 ecl. VI, 76 ge. I, 402 a Servio servata. Atque Aen. III, 3 — ceciditque superbum Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia — cum ferri non posse pu-

8) Hanc vocem delendam existimo.

taret perfecti et praesentis coniunctionem, ultimam verbi fumat syllabam Probus censuit circumflectendam esse, ut intellegeretur fumavit (Serv.: 'nam quod Probus ait ad discernendum tempus circumflectendam ultimam syllabam ut intellegamus fumavit, non procedit'). Lachmannus ad Lucr. V, 396 imperite de hoc loco Probum statuisse iudicavit, quoniam verbum proximum non a vocali inciperet, sed tota haec perfectorum contractorum ratio videtur esse abicienda. — Aen. VII, 543 — Deserit Hesperiam et caeli convexa per auras Iunonem victrix adfatur voce superba — Probus miram Aspri sententiam probavit qui praepositionem per bis accipi voluerat (Serv.: 'Probus Asper Donatus dicunt hoc loco per bis accipiendum: alloquitur Iunonem per caeli convexa et per auras') cf. Ribbeckius p. 130 et 141. — Ad Aen. X, 182 — sequitur pulcherrimus Astur, Astur equo fidens et versicoloribus armis. Tercentum adiciunt, mens omnibus una sequendi, Qui Caerete domo qui sunt Minionis in arvis Et Pyrgi veteres intempestaeque Graviscae — Servius haec adnotat: 'tercentum adiiciunt] accedunt et consentiunt eius voluntati. unde ait *mens omnibus una sequendi* i. e. coniurati sunt. quod sequentia explanant. Probus adiiciunt adiacent et quasi iuxta sunt tradit'. Iam Probum ullo pacto 'adiiciunt' explicare potuisse 'adiacent et quasi iuxta sunt' rectissime Ribbeckius p. 146 negavit. Atque ego verba 'adiacent et quasi iuxta sunt' suspicor omnino non ad significationem verbi 'adiiciunt', sed ad situm locorum quorum Vergilius mentionem facit referenda esse, ita ut eis causa inferatur cur copiae illorum locorum coniunctae fuerint. Quod si recte statui, ne geographicas quidem res Probum neclexisse efficitur. — Ad Aen. XII, 174 — paterisque altaria libant — apud Servium Parisinum haec legimus (cf. Ribbeckius p. 145): 'Probus altaria idem [quod] in altaria dicit et pateris pro ex pateris. aut vinum altaria intelligamus. ea enim quae in altaria funduntur altaria dici voluit', quibuscum Ribbeckius apte contulit schol. Veronense ad Aen. V, 93 — depasta altaria liquit — 'altaria limina ut paterisque altaria libant et aspice corripuit tremulis altaria flammis (ecl. VIII, 105)' cet., in quo rectissime 'libamina' pro 'limina' scribi volt. Itaque etiam Aen. V, 93 altaria Probus de libaminibus videtur interpretatus esse, quam notionem cur

Ribbeckius ad solum vinum pertinere statuerit, non video; atque fortasse (scholium enim mutilum est) eodem modo etiam ecl. VIII, 105 sq. 'aspice corripuit tremulis altaria flammis sponte sua dum ferre moror cinis ipse' explicanda censuit (cf. v. 80 sqq.). — Ad ecl. VI, 76 — Dulichias vexasse rates — haec Servius adnotat: 'vexasse rates per tapinosin dictum est, nam non vexavit, sed evertit. quod Probus vult hac ratione defendere dicens vexasse venire ab eo quod est veho vecto vexo, ut vexasse sit portasse et sine dubio pro arbitrio suo evertisse. vexasse est enim vis quaedam alieni arbitrii, non enim sui potens est qui vehitur. bene ergo inclinatum verbum est. nam qui fertur et raptatur et huc atque illuc distrahitur vexari proprie dicitur. Cato in oratione de Achaeis: *cumque Hannibal terram Italiam laceraret atque vexaret.* Cicero in Verrinis (IV, 55, 122) *sed ut a barbaris praedonibus vexata esset.* item alibi *fana vexata, direptae urbes reperiuntur*'. Quae inde a verbis 'vexasse est enim' unde novom scholion incipere patet dicuntur eisdem fere verbis leguntur apud Gellium II, 6, 5 sqq , nisi quod Gellius ampliorem habet disputationem, tertium autem exemplum omittit. De qua re ego prorsus fere assentior Kretzschmero l. c. p. 28 et 91 sq., qui hoc alterum scholion statuit ex Gellio excerptum esse, ita ut excerptor tertium exemplum addiderit, ipsum autem Gellium Probum secutum esse; id tantum probare non possum quod ex familiari Probi haec Gellium accepisse Kretzschmerus existimat sed cum Ribbeckio p. 145 ex Probi commentariis Gellium haec excerpsisse puto [9]). Disputat autem Gellius contra Annaeum Cornutum, qui illum Vergili locum vituperaverat; adversus Cornutum igitur Probus Vergilium hoc loco defendit. Iam cum eodem capite Gellius etiam duos alios Vergili locos (ge. III, 5 et Aen. X, 314) adversus Cornuti vituperationes defendat, perquam est verisimile quod Ribbeckius statuit haec quoque ex Probi commentariis hausta esse.

Reliquarum Probi in scholiis Vergilianis commemorationum — Serv. ad Aen. I, 1 I, 194 II, 15 VI, 866 X, 33. ge. I, 402

9) Kretzschmerus p. 92 quoniam nulla Probi ad Vergilium adnotatorum apud Gellium fiat mentio, ita existimare non putat licere, quod ego non possum concedere.

et schol. Bern. ad go. I, 403 et IV, 134 [10]) — tautum schol. Bern. ad ge. I, 403 et Serv. ad ge. I, 402 qnae scholia fere eadem sunt ad Probi minoris commeutarios puto pertinere, sed de his paullo post dicam ubi de commeutario Probi qni exstat disputabo, ad reliquos locos infra redeam. Nam ad Probi minoris commentarios spectant etiam qnae legimns Macrob. Sat. V, 22: 'apud Vergilium Pau niveo lanae mnuere Lunam illexisse perhibetur (ge. III, 391 sqq.):. *in nemora alta vocans munere sic niveo lanae si credere dignum est* et reliqua. in hoc loco Valerius Probus vir perfectissimns notat nescire se hanc historiam sive fabulam quo referat anctore. quod tantum virum fugisse miror. nam Nicander huius est auctor historiae poeta quem Didymus grammaticorum omnium quique sint quique fuerint instructissimus fabulosum vocat. quod sciens Vergilius adiecit *si credere dignum est*, adeo se fabuloso usum fatetur anctore'. Volgo hunc locum ad Berytium referri vix opus est me commemorare, neque magis cur mihi ad Berytium uon posse referri videatur me expouere [11]). Ex hoc igitur Macrobi testimonio apparet Valerium Probum minorem etiam, qnibus auctoribus Vergilius in rebus mythologicis nsns esset, in commentariis suis oxposuisse. Hoc autem multum valet ad refellendam Riesi de commentario Vergiliano qui M. Valeri Probi nomine inscribitur sententiam quam proposuit dissertatione qnam inscripsit 'do commentario Vergiliano qui M. Valeri Probi dicitur' (Bounae 1862). Tribus enim codicibus [12]), Vaticano 2930 Parisino 8209 Monacensi Lat. 755 (cf. de hoc codice Th. Mommsenus mus. Rheu. XVI p. 137 sqq.), servatus est commeutarius in Vergili bucolica et georgica, in codice Vaticano inscriptus 'M. Val. Probi', in Parisino 'Valerii Probi in Buccolica ot Georgica Vergilii commentariolum', in Monacensi 'Valcrii Probi

10) In schol. Bern. ad ecl. X, 66 frustra Probi nomen inferre conatus est Wagnerus cf. Ribb. p. 146 et Hagenus ad h. l.

11) Bernhardyus in Hall. Literaturzeitung 1840 p. 88 hominem primi r. Chr. saeculi virum perfectissimum appellari posse negavit, sed non intellegitur cur non honoris causa hanc suae aetatis appellationem etiam priorum temporum homini Macrobius tribuere potuerit.

12) Quarti codicis, Vaticani 3394, qui tantum parvam partem commentari continet atque alterius Vaticani simillimus est, mentionem fecit G. Thilo mus. Rhen. XV p. 150.

super Bucc. et Georgic Vergilii commentariolum'. Communis horum codicum fons (cf. Keilius praef. p. VIII et Mommsenus l. c. p. 138) fuit codex Bobiensis deperditus, ex quo primum hic commentarius editus est ab Egnatio (Venetiis 1507) sic inscriptus 'Probi vetustissimi grammatici in bucolica commentarii'. De hoc igitur commentario primus accuratam quaestionem instituit O. Iahnius proll. in Persium p. CXLI sqq., eorum qui antea de his scholiis iudicia protulerunt sententias rursus recensere nihil attinet cf. Iahnius l. c. et Riesius p. 11. Atque Iahnius ita existimavit, haec scholia servata esse e commentario Valeri Probi Berytii seriorum epitomatorum opera non minus quam ea quae Servius et scholia Veronensia inde excerpta servassent (p. CXLVII), h. e. licet maximam partem scholia, inprimis ad georgica, non ita ab auctore scripta essent ut legerentur, sed postea in epitomen redacta corrupta contracta interpolata essent (p. CXLII et CXLVI), tamen a Berytio ea profecta esse. Hanc Iahni sententiam probaverunt Bergkius diar. ant. stud. 1845 p. 127 et 130 sq. et Reifferscheidius Suet. rell. p. 398, impugnavit Riesius qui hunc commentarium quarto p. Chr. saeculo tribuendum esse statuit (cf. p. 31). Sed neque Ribbeckio Riesius persuasit, qui in Fleckeiseni annall. phill. 1863 p. 351 sqq. copiosius de eius commentatione iudicium tulit atque ita Riesio adversatus est, ut in commentario inesse multa inepta stolida confusa, quae diversis ex fontibus paullatim inlata essent, concedens non tamen esse diceret, cur exquisitae et vere antiquae eruditionis reliquias ex Probi Berytii commentariis petitas esse negaremus (cf. proll. p. 164), neque H. Keilio (cf. Symb. philoll. Bonn. p. 93). Ne ego quidem Riesi sententiam probare possum, sed ita assentior Iahnio et Ribbeckio, ut non Berytio, sed Probo minori hunc commentarium tribuendum esse putem.

O. Iahnius propter duas potissimum res de Probo Berytio cogitandum esse indicaverat, primum quia scriptorum, qui laudarentur haud pauci, nemo esset quem post Berytium vixisse constaret, deinde quia antiquae eruditionis satis clara vestigia in hoc commentario invenirentur. Prius illud argumentum Riesius p. 12 sq. labefactare studuit nova de Aemilio Aspro qui commemoratur p. 15, 24 et 19, 9 K. proposita sententia. Atque recte

quidem Bergki coniecturae, qui (diar. ant. stud. 1845 p. 125 sq.) apud Suidam v. Ἡρακλείδης Ποντικός bis Ἄπερος in Ἄσπερος mutandum esse statuerit, quidquam momenti esse tribuendum negat. Sed ex Hieronymi loco celeberrimo cuius iam saepius rationem habui: ʻputo quod puer legeris Aspri in Vergilium et Sallustium commentarios, Vulcatii in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius, et in Terentii comoedias praeceptoris mei Donati, aeque in Vergilium, et aliorum in alios, Plautum videlicet, Lucretium, Flaccum, Persium atque Lucanum' frustra Riesius efficere conatus est Aemilium Asprum multo recentioribus temporibus [13]) Probo Borytio fuisse. Existimavit autem ita quia quarto p. Chr. saeculo primi saeculi commentarios lectitatos, quin etiam in scholis a pueris lectitatos esse parum esset verisimile, praeterea quia quattuor commentatorum qui nominarentur duo, Victorinus et Donatus, Hieronymi fere aequales fuissent, cum de Vulcatio nihil certi constaret. Sed re vera primi saeculi commentatores quarto saeculo lectitatos esse apparet ex Augustin. de util. cred. 17: ʻnulla imbutus poetica disciplina Terentianum Maurum sine magistro attingere non auderes, Asper Cornutus Donatus et alii innumerabiles requiruntur ut quilibet poeta possit

---

13) Propter Oehleri de Dositheo et Charisio et Diomede disputationem (mus. Rhen. XVII p. 55 sqq.) Riesius Asprum quem Charisius aliquot locis nominat recentiori quam M. Aureli aetati tribuere non est ausus. Nam ille, cum circiter annum 207 Dositheum scripsisse existimaret, tamen Diomedis et Charisi libris eum usum esse sibi persuaserat. Id enim prorsus praetermiserat et Dositheum et Charisium ac Diomedem eodem uti potuisse fonte. Iam vero nunc didicimus sine causa idonea Dositheum circiter annum 207 scripsisse putatum esse cf. p. 41 adn. 22. — Quae in codice Vatic. 1492 s. XV de Aspro leguntur, cum non plena ab H. Keilio in mus. Rhen. V p 318 exscripta essent, antea dubitationem movere poterant. nunc autem ex gramm. Latt. V p. 527 videmus haec in codice illo legi: ʻAsper grammaticus civis Romanus tempore Antonini philosophi fuit imperante Augusto de quo Iulius Capitolinus (Ant. phil. c. 2) hoc ait: *usus est praeterea quottidianis grammaticis latinis Trosio Aspro* (immo *Apro*) *et Polono et Euthochio (Eutychio) Proculo.* fuit et alter Asper qui minor appellatus est paullo post Hieronymum'. Is igitur qui haec scripsit quae de vetere grammatico dicit neclegenter ex Iulio Capitolino collegit (cf. Keilius p. 530), quae de Aspro minore dicuntur, probabiliter Keilius statuit pertinere ad Donati explanationem nondum editam.

intellegi'; vocem 'puer' autem non esse premendam iam supra ubi de Lucretio a Probo Berytio edito disputabam (p. 81 adn. 2) dixi. Ceterum ei loci ubi Asper commemoratur inveniuntur in doctissima ad ecl. VI, 31 adnotatione quam ipso Riesius (p. 27) florentium studiorum tempori putat adscribendam esse, quam difficultatem ut tollat grammaticum illum quarti saeculi hos locos inseruisse statuit; sed recte Ribbeckius l. c. p. 353 Aspri commemorationes facile omitti posse negat.

Deinde Riesius (p. 13 sqq.) indolem commentari parum convenire censuit cum Valeri Probi studiis: Probo enim grammaticarum maxime rerum tractationem et praeterea artis poeticae iudicium in adnotationibus curae fuisse, rerum autem enarrationem eo usque tantum cum curasse quoad omnino commentator non potuisset neclegere, i. e. Probum fuisse non philologum, sed grammaticum, quorum studia a Seneca epp. 108, 30 sqq. diserte discernerentur (p. 8 et 13), contra commentari scriptori nil omnino fuisse in animo nisi ut res explicaret nominumque maxime propriorum praeberet interpretationem, quo factum esse ut mythologicis geographicis astronomicis physicis aliisque rebus librum refertum haberemus, ad grammaticam nihil fere spectaret (p. 13 sq.), i. e. ubique commentarium philologum ostendere (p. 14). Sed primum rerum enarratio nunquam commentatori magis curanda est quam ad consilium eius necessarium est, i. e. quam necessarium est ad scriptoris verba plane inlustranda, historiam rerum sacrarum, publicarum, privatarum et quae sunt similia exponere non est commentatoris, sed philologi quem veteres appellarunt; itaque si Probus rerum explicationem eo usque curavit quoad commentatori necessarium fuit, officio commentatoris perfunctus est. Nominum propriorum autem explicationem, cum permultum valeat ad scriptores intellegendos, ad commentatoris officium pertinere negari non potest. Quod autem ad Senecae locum attinet ubi de diversis philologi et grammatici studiis exponitur, neque artis poeticae iudicium neque locorum corruptorum emendatio a Seneca commemoratur, his autem Probum deditum fuisse negari nequit. Omnino Seneca non exponit quomodo scriptor aliquis philologo tractandus sit, quomodo grammatico, sed ad quas potissimum res in lectione scriptoris animum

attendat philosophus, ad quas philologus, ad quas grammaticus atque quales res ex ea lectione in commentarium sive coniectanea referat philosophus, quales philologus, quales grammaticus. Itaque nullo pacto ex Senecae verbis effici potest fuisse qui ita in scriptoros commentarios componerent, ut tantum verborum expressorum quae Seneca dicit atque obsoletorum et auctorum atque imitatorum locutionum atque imaginum [14]) rationem haberent, praesertim cum alio loco Seneca ipso (ep. 88, 3) grammatici studia non tam arctis circumscripserit finibus. Rerum igitur enarratio meo quidem iudicio nunquam in commentario iusto defuit; quod ne de Probi quidem commentariis adfirmare ausus Riesius eo usque tantum Probum hanc rem curasse ait quoad omnino a commentatore non potuerit neclegi, qua definitione addita equidem totam litem inanem factam esse puto. Addidit autem hanc definitionem Riesius ob eam potissimum rem quod unum certe rerum a Probo tractatarum testimonium exstare ne ipse quidem negare ausus est, Macrobi locum dico cuius supra mentionem feci. Sed si uno loco Probum adnotasse constat nescire se unde historia aliqua sumpta esset, ubique eum adnotasse consentaneum est unde historiae vel fabulae paullo reconditiores essent haustae. Iam adnotationem illam in commentario qui exstat frustra quaerimus, quin etiam invenimus adnotationem prorsus diversam: fusius enim ibi narratur fabula illa quam Probo non notam fuisse e Macrobi loco apparet, unde recte Riesius p. 15 hanc quam in commentario legimus adnotationem non a Valerio Probo conscriptam esse efficit. Sed hanc adnotationem quominus interpolatoris esse statuamus nihil obstat; immo facillime fieri potuit ut aliquis hanc adnotationem de alio commentario sublatam pro Probi ingenua confessione inscientiae substitueret, fortasse etiam sic Probi famae succurrendum esse arbitratus. Ceterum haec adnotatio non suo loco legitur, sed inter versuum 312 et 338 interpretationes quod observavit Ribbeckius (proll. p. 164). Quamquam huic rei atque similibus — uam non tantum hoc loco, sed etiam aliis ordinem adno-

14) Parum recte cum hac re Ribbeckius l. c. p. 351 confudisse videtur rerum narratarum auctorum indagationem cui Probum operam dedisse efficitur ex Macrobi loco.

tationum perversum reperimus ac maxime in extremis libris III et IV georgicon adnotationes quaedam aliorum locorum additae sunt[15]) — non tantum equidem tribuerim quantum eis tribuit Ribbeckius, qui inde alienis titulis commentarium interpolatum esse efficit: possit enim aliquis existimare haec scholia ex eodem commentario petita atque reliqua ab excerptore primum neclecta ac postea demum vel in fine librorum vel in margine esse addita. Sed interpolatum esse hunc commentarium omnino non videtur opus esse demonstrari, cum in eiusmodi commentarios paene prorsus fieri non posset quin interpolationes irreperent. Neque magis non exstare integrum commentarium, sed misere excerptum opus est demonstrari: nemo enim hoc negabit qui hunc commentarium oculis attigerit[16]). Si autem adnotationes excerptas habemus eaeque omnes fere in rerum ac maxime nominum propriorum interpretatione versantur, nonne admodum est verisimile ex iusto atque amplo commentario has adnotationes ita finxisse, ut epitomator quidam e larga adnotationum copia potissimum rerum ac maxime nominum propriorum interpretationes eligeret? (cf. Ribbeckius l. c. p. 355)[17]). Cui rationi frustra Riesius p. 14 sq. Macrobi locum V, 22 opposuit. Atque pleniorem hunc commentarium olim fuisse ipse Riesius (p. 30 adn.) suspicatur, nam non modo quae in scholiis Bernensibus ad ge. IV, 134 de quo loco infra disputabo leguntur, utrum Probo Berytio an commentari auctori adscribat, et quae Pomponius Sabinus ad ge. IV, 367[18]) adnotavit utrum errore ductus Probo

15) Alterius libri, cum hi versus ultimi aduotentur: 506. 361. 417. 519. 536, duae adnotationes ultimae suis locis leguntur, qua re neclecta Ribbeckius post ge. II, 506 adglutinatas esse statuit versuum 361. 417. 519. 536 interpretationes ut post ge. III, 475 versuum 129. 264. 339.

16) Tantum hoc commemoro primam eclogam ne una quidem adnotatione esse inlustratam.

17) Si ea commentari forma quam nos habemus ea est quam ei dedit excerptor, perturbatus adnotationum ordo facile ita potest explicari, ut nonnullas primum excerptorem fugisse statuamus. Tum iam excerptorem commentario admodum interpolato usum esse necesse est, quod statuere nulla re prohibemur.

18) Pomponius Sabinus qui vocatur ad ge. IV, 367 haec adnotat: 'hoc dicit ut tangat opinionem eorum qui dicunt omnia flumina habere

attribuerit an ex codice nunc deperdito hauserit, dubitat, sed satis confidenter ad commentarium olim pleniorem refert quae in schol. Bern. ad ge. I, 403 atque in Servi codice Burmanniano G ad ge. I, 402 ad Probum referuntur. Atque in schol. Bern. haec legimus: 'noctua] avis lucis profuga. si canat post solis occasum, pluviam significat. Probus ait si in tectis vel in arboribus canat sero, serenitatem significat'. Quae non omnia ad Probum referenda esse, sed Probi scholion incipere a verbis 'si in tectis' perspexit Hagenus schol. Bern. p. 720 qui verba 'si canat post solis occasum pluviam significat' recte et Serviana (noctua autem avis est lucifuga quae significat pluviam si cecinerit post solis occasum) esse dicit et eis quae sequantur plane contraria. Plenius autem Probi scholion praebet Servi codex Burmannianus G: 'Probus ait si in tectis vel arboribus altis canat serenitatem significat, si in foraminibus vel ramusculis [tempestatem]'. Haec igitur Riesio tanto opere cum commentari indole congruere visa sunt, ut non dubitaret ad eum olim pleniorem ea referre, nimirum quoniam hoc scholion ad rerum enarrationem pertinet. Ad hanc autem etiam illud 'hunc locum Probus quaerit' quod ad Aen. X, 18 Servius adnotat (cf. p. 108 sq.) necessario referendum est, in ea enim adnotatione non est dubium quin Probus philosophiam attigerit: hanc igitur disputationem simillimam fuisse consentaneum est ei quam in commentario ad ecl. VI, 31 legimus (cf. Ribbeckius proll. p. 145). Praeterea si recte Servi ad Aen. X, 182 adnotationem ad rerum geographicarum tractationem rettuli, quartum habemus locum qui ad rerum enarrationem pertineat. Denique si ad Aen. VI, 782 de Olympo Probus quaesivit, ad Ter. Phorm. I, 1, 15 de initiandi more disputavit, haec certe in confinio verborum tractationis atque rerum explanationis versantur, quas omnino non prorsus divelli posse patet.

Etiam quod nulla fere de singulis locis iudicia in his scholiis inveniuntur, quod cum vetusto commentario parum congruere

unam originem ut meminit Probus et postea labi per varia loca et varias origines esse canales quosdam qui ex hoc fonte veluti capite deducantur tamquam membra' quae qua fide dicta sint non magis ego audeo diiudicare quam Riesius l. c. aut Ribbeckius proll. p. 146.

dicit Riesius p. 15 sq., facile explicatur, si non integrum sed excerptum et ad certam rationem excerptum commentarium exstare statuimus; neque hoc argumentum Riesius premere voluit. Eodem modo apparet non esse mirandum quod ea quae ex aliis testimoniis vel constat vel verisimile est Probum in commentariis bucolicon et georgicon adnotasse in hoc qui exstat commentario desiderantur. Desunt autem praeter adnotationem ad ge. III, 391 cuius mentionem facit Macrobius et adnotationem ad ge. I, 402 vel 403 quam invenimus in scholiis Bernensibus et in Servi codice Burmanniano G adnotatio ad ecl. VI, 76 cuius Servius mentionem facit quaque usus videtur Gellius II, 6, 5 sqq. et ad ge. III, 5 atque ad ecl. III, 64 et IX, 23 adnotationes quae tantum coniecturis nituntur (cf. supra p. 111 et p. 107)[19].

Inde a p. 16 Riesius ex ipsis adnotationibus studet demonstrare haec scholia non posse tribui primo p. Chr. saeculo, quo me eum sequi non necessarium esse puto, quippe qui in eiusmodi commentariis non ab rebus ineptis atque confusis, sed ab antiquae doctrinae vestigiis proficiscendum esse existimem. Nam ut iam supra iudicavi Probi commentarium non minus misere interpolatum quam excerptum atque contractum esse ut Iahnio atque Ribbeckio ita mihi est persuasum. Ceterum in hac disputatione de nonnullis rebus Riesium paullo celerius iudicasse ostendit Ribbeckius l. c. p. 354. Non parvam autem doctrinam passim in his scholiis inveniri Riesius concedit (p. 11. 13. 27. 28). Quod cum neminem in his scholiis nominari qui Valerio Probo esset recentior atque magnam in his scholiis conspici doctrinam rectissime O. Iahnius statuerit, non est cur de fide codicum atque editionis principis dubitemus. Quamquam hoc ego facile Riesio (p. 29 sqq.) concedo non modo praenomen Marci quod in solo codice Vaticano legitur non videri fuisse in codice archetypo Bobiensi, sed etiam num nomen Valeri in eo fuerit valde posse dubitari: nam cum in editione principe tantum 'Probi vetustissimi grammatici' legamus, Valeri nomen Egnatius in co-

19) Ribbeckius proll. p. 164 etiam adfert adnotationem ad ecl. X, 66 de scholiis Bernensibus cogitans, cum Wagneri coniecturam, qui Probi nomen ibi restituendum esse putaverat, p. 146 recte reiecerit.

dice suo non videtur iuvenisse[20]; quod autem in catalogo librorum Bobi adservatorum decimo saeculo exarato (Murator. antiqu. Ital. III p. 820) inveniuntur 'Valerii Probi libri tres' non addito librorum argumento, id ne mihi quidem impedire videtur, quominus Valeri nomen in illo codice additum fuisse negemus[21].

Iam quaeritur num quae de indole atque forma commentariorum Valeri Probi minoris ex his scholiis quamvis sint contracta atque interpolata possint effici. Atque primum quidem ex hoc commentario ex quo praeclarae Valeri Probi eruditionis imaginem mente possumus concipere exquisita doctrina abundasse videmus Probi commentarios. Deinde ex doctissima illa ad ecl. VI, 31 adnotatione apparet allegorica ratione res mythologicas Probum esse interpretatum de qua re cf. Bergkius annall. phill. 1861 p. 331 sqq. Quod ad formam attinet, praemissa est commentario vita Vergili atque eodem modo postea Probi in Persium commentario videbimus praemissam fuisse vitam Persi. Quamquam Riesius p. 25 vitam commentario Vergiliano praemissam a Probo omnino abiudicandam et posterioris aetatis homini tribuendam censet qui ex memoria tantum narrans et quasi dormitans vera falsaque stulto commiscuerit, atque in hac quidem re Riesio fere adsensus est Ribbeckius l. c. p. 354 sq.; sed ne hoc quidem Riesium recte statuisse puto, sed Reifferscheidio adsentiendum existimo, qui Suet. rell. p. 398 excerptam atque interpolatam vitam esse concedens tamen eam ad Probum Berytium referre non dubitat, nisi quod de Berytio cogitari posse nego. Atque quam misere contracta atque decurtata vita sit, iam ex

---

20) Etiam in totius libri titulo — addita enim sunt haec scholia Vergilio ipsi et Servio — tantum leguntur: 'sequitur Probi celebris grammatici . . . commentariolus', atque etiam in praefatione tantum Probi commentariolum Egnatius haec scholia nominat cf. Keilius praef. p. V.

21) H. Keilius gramm. Latt. IV p. VII adn. probabiliter statuit tres codices quorum in indice illo mentio fiat fuisse Vindobonensem 16 quo continentur liber de ultimis syllabis ad Caelestinum et 'de catholicis Probi', Vindobonensem 17 in quo insunt 'Valerii Probi de nomine' et Probi instituta artium inde a p. 71, 28 K. cum appendice, denique codicem archetypum Probi in bucolica et georgica commentari. Itaque propter unum libellum qui inscriptus est 'Valerii Probi de nomine' Valeri nomen in indice videtur additum.

primis versibus satis apparet (cf. Reifferscb. l. c.), interpolatoris autem ea esse oportet quae in fine leguntur: 'quod et Servius Varus hoc testatur epigrammate' cet. Nam epigramma illud teste Donato (vit. Verg. p. 63, 12 R. p. 738, 38 Hag.) Sulpici Carthaginiensis[22]) est, quamobrem et Reifferscheidius non poetam quendam incognitum, sed commentatorem celeberrimum Servium intellegendum esse recte suspicatus est et O. Iahnius 'Varus' in 'Maurus' mutando totum locum egregio emendavit. Itaque interpolator hos versus ex Servi commentario addidit, cui fere adiuncta erat Donati vita Vergili[23]). Accedit quod hanc vitam librariorum culpa habemus misere corruptam: inter verba 'Aeneida ingressus bello Cantabrico' et verba 'hoc quoque ingenti industria' lacunam statuendam esse Keilius perspexit; praeterea miserrime corrupta sunt quae leguntur p. 1, 4 sqq. K. 52, 8 sqq. R.: 'sed cum iam summis eloquentiae doctoribus vacaret, in belli civilis tempora incidit quod Augustus adversus Antonium gessit primumque bellum veteranis post Mutinense postea restitutus beneficio Alpheni Vari' cet. Ubi verbis 'primumque ... Vari' cet. corruptelam circumscribi ratus Riesius p. 24 in priorum verborum temporum perturbationem invehitur. Sed num recte Riesius et alii ad verba 'cum iam ... gessit' corruptelam non pertinere statuerint, valde mihi videtur posse dubitari. Atque si audacius agere liceret, sic fere hic locus posset constitui: 'in belli civilis (sc. Caesaris et Pompei) tempora incidit, post Mutinense primumque bellum quod Augustus adversus

22) Sulpici Apollinaris versus ex eis quae supra de Gelli vita disputavi apparet non potuisse adferri a Suetonio. Itaque recte Reifferscheidius p. 401 vitam quidem Suetoni nos habere, sed retractatam illam Donati cura statuit, quam sententiam frustra impugnavit Riesius p. 24 adn.

23) Reifferscheidius p. 399 vitam quae Servianis in Aeneidem commentariis praemissa est negavit Servi esse, veram autem Servi vitam ex qua interpolator vitae Probianae epigramma illud sumpsisset amissam esse statuit. Sed Reifferscheidi causas refutavit H. Hagenus schol. Bern. p. 682 adn. qui non recte illum Thilonis auctoritatem secutum Servianam vitam in antiquis Servi codicibus exstare negasse atque ea verba quae Reifferscheidius aperta noviciae originis indicia esse censuerat in multis codicibus deesse ostendit.

Antoninm gessit veteranis [24] .... (ita nt hic interciderint mentio belli Philippensis atque altera veteranorum commemoratio). postea restitutus' cet. Sed hoc certe apparet hunc locum non obstare quominus ex Probi Valeri vita ea quae in commentario de Vergili vita legimus excerpta esse existimemus; nihil enim est cur excerptorem neclegenter egisse non possimus statuere. Praeterea Riesius p. 25 vitam commentario praemissam propterea ex Probi commentario haustam esse negandum censet, quia in Donati vita Vergili quae esset Suetoni vita nulla huius vitae ratio esset habita, quod duabus ex rebus effici volt. Primum enim de patre Vergili in Suetoni vita haec tradi 'quem quidam opificem figulum, plures Magi cuiusdam viatoris initio mercennarium, mox ob industriam generum tradiderunt', in Probi vita quae vocetur Vergili patrem appellari rusticum, quod Suetonium, si ei compertum fuisset, ex more suo non fuisse taciturum. Sed quomodo quae in vita Probiana legimus pugnent cum ea sententia quam plures secutos esse Donatus tradit, ego prorsus non video: nam cum Vergilius nasceretur, non est dubium quin pater eius iam agrum possederit; erat igitur re vera tum rusticus, quo etiam apium curatio de qua Donatus tradit pertinet. Deinde Riesius adfert secundum Donati vitam (p. 57, 12 R. p. 735, 13 H.) Vergilium possedisse prope centies sestertium ex liberalitatibus amicorum, cuius famae quasi per nebulam recordatum Probum personatum dicere 'ab Augusto usque ad sestertium centies honestatus est'. Sed ego hac re adeo non Riesi sententiam invari puto, ut inde quod, cum Donatus vel Suetonius universe de amicis loquatur, in Probi vita decurtata Augustus nominatur, in plena Probi vita amicos illos enumeratos fuisse efficiam atque ex horum numero excerptorem unum arripuisse Augustum, ut accuratius res exposita fuerit in vita plena

24) Octavianum bello Mutinensi veteranos ad arma revocatos adversus Antonium duxisse tradunt Suet. Oct. 10 Flor. II, 15, 4 Cassius Dio 45, 12. — Similis confusio mihi inesse videtur in eis quae p. 10, 11 sqq. leguntur: 'proprium in Vergilio est ut nihil magnum sua auctoritate confirmet, sed aut a Musis acceptum dicat aut admirabile famae tribuat' quae fortasse sic sunt scribenda: '— ut nihil magnum aut admirabile sua auctoritate confirmet, sed aut a Musis acceptum dicat aut famae tribuat'.

quam in Suetoni vita. Eodem modo in Probi vita accurate indicatur quantum Andes afuerint a Mantua, in Donati vita tantum non procul afuisse dicuntur. Itaque nihil est cur negemus vitam Vergili Probi commentario praemissam de Valeri Probi minoris vita excerptam esse.

Vitam sequitur de bucolicorum origine disputatio p. 2, 8—4, 19 K. Hanc Riesius p. 25 haud expertem esse eruditionis concedit: hic enim melius fontes a scriptore commentari esse inspectos. Sed ex omnibus quae disputavi apparere puto non cum scriptore bonis fontibus uso, sed cum excerptore commentariorum Valeri Probi minoris praestantium nobis rem esse. Excerptori tribuendum est quod p. 2, 11 Xerxes ad Marathonem victus dicitur (cf. Riesius p. 23) et quod ubi de tertia de origine bucolicorum opinione agitur ipsa causa unde bucolica orta sint prorsus omittitur (cf. Riesius p. 26). Iam de duabus certe prioribus opinionibus prorsus similiter exposuit Diomedes p. 486, 7—487, 10 K.; qui cum in fine dicat 'putant autem quidam hoc genus carminis primum Daphnim conposuisse, deinde alios conplures inter quos Theocritum Syracusanum quem noster imitatur', eum ex Vergili commentario aliquo haec hausisse recte perspexerunt Reifferscheidius Suet. rell. p. 379 et Ribbeckius l. c. p. 355. Itaque verisimile est ea quae Diomedes tradit[25] non minus quam ea quae in commentario Vergiliano qui exstat legimus ex Valeri Probi commentario excerpta esse. Nam etiam de Theocriti imitatione in pleno commentario copiosius disputatum fuisse ex eis quae disputationem de bucolicorum origine secuntur colligi licet: sequitur enim p. 4, 20 sqq. K. observatio de differentia metrica bucolicorum Theocriti et Vergili, quae rursus misere contracta est, deinde p. 4, 23 sqq. demonstratur Theocritum in componendis bucolicis eo admodum adiutum esse, quod peculiari dialecto uti potuerit, quod Vergilio non contigerit, atque de bucolicorum genere dicendi exponitur. Sequitur p. 5, 22 sqq. causae cur Vergilius bucolica scripserit explicatio, in qua parte gravissima invenitur confusio: nam cum p. 1, 12 et 7, 8 duodetriginta annos natus Vergilius dicatur bucolica edidisse, post bellum Actiacum

25) Etiam alias quasdam partes Diomedis de poematis disputationis ad commentarios Vergilianos revocandas videri infra videbimus.

bucolica scripta esse hic legimus cf. Riesius p. 23. Tamen non videtur opus esse hanc partem e Valeri Probi commentario excerptam esse negari, quamquam Ribbeckius l. c. p. 355 de hac quoque parte desperat. Neque enim mihi ita valde mirandum videtur excerptorem Philippense bellum vel Mutinense vel Perusinum quorum omnium fortasse aliqua ratione mentio facta erat confudisse cum Actiaco bello. Eodem modo reliqui qui in hac disputatione inveniuntur errores non intellego cur non possint tribui Valeri Probi minoris commentari excerptori neclegenti. Neque magis ea quae p. 6, 9 sqq. de ordine eclogarum et p. 6, 21 sqq. de pronuntiatione earum exponuntur mihi persuadere possum non potuisse excerpi ex Valeri Probi minoris commentario. Deinde de Tityro et Meliboeo, denique de tribus poesis generibus (cf. Diom. p. 482, 14 sqq.) disputatur, quarum expositionum altera in Probi commentario integro fortasse antecessit priorem quae primae eclogae enarrationi ipsi videtur fuisse praemissa. In hac parte illud tantum Riesius (p. 26) vituperare potuit, quod Tityrus ex Libyca lingua, non ut apud Servium ex Laconica derivaretur. — Quod si recte in tota praefatione Valeri Probi minoris vestigia agnovi, easdem fere res Probum in commentariis suis efficitur considerasse quas in enarrandis scriptoribus considerandas esse Servius in praef. comm. in Aeneidem in. dicit, qui adfert poetae vitam, titulum operis, qualitatem carminis, scribentis intentionem, numerum librorum, ordinem librorum, explanationem. Atque has septem res non modo Servius deinde persequitur, sed eodem modo Donatus bucolicorum commentario cuius initium servatum est persecutus est[26]). Ceterum in ea re Valerium Probum Graecos commentatores secutum esse patet.

Iam quod ad enarrationem ipsam attinet ex his quae exstant scholiis Vergilianis videmus quaestiones uberrimas commentariis suis inseruisse Valerium Probum minorem, nam una ad ecl. VI, 31 adnotatio in qua praeclarum ἀπορίας et λύσεως

26) Tantum in tertia re Donati ratio paulium a Servio discrepat, cum eam ponat non qualitatem carminis, sed causam atque in ea quaeri solere dicat, unde carmen ortum sit et quare hoc potissimum sibi ad scribendum poeta praesumpserit.

exemplum habemus plus quam sextam partem totius commentari obtinet. Sed ne haec quidem tota servata est, quamquam ne additamentis quidem caret [27]); nam duarum quaestionum quas sibi scriptor proponit solvendas, prior non attingitur. Sic enim adnotatio incipit: 'hactenus breviter — haec utrum ad solam eclogam sextam an etiam ad omnes quae antecedunt pertineant dubium videtur —, nunc, ut omnis quaestio tractetur, quaeritur an poeta quattuor solis et his — haec sic videntur emendanda: *quattuor solis his* — an omnibus principia rerum convenire confirmet, tunc deinde an revolutis super eadem re sensibus paria percurrat an vero diversa confundat'. Versus Vergili autem sunt: 'Namque canebat (Silenus), uti magnum per inane coacta Semina terrarumque animaeque marisque fuissent Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis Omnia et ipse tener mundi concreverit orbis' cet. Iam prooemi loco praemittitur disputatio de Vergili consuetudine nihil magni sua auctoritate confirmandi, deinde p. 10, 30 statim leguntur verba: 'omnem igitur hanc rerum naturae formam tenui primum et inani mole dispersam refert in quattuor elementa concretam et ex his omnia esse postea effigiata', post quae de philosophis disputatur qui quattuor elementa esse statuerint, dum p. 13, 25 ad alteram quaestionem i. e. similium locorum tractationem transitur, cui p. 20, 20 sqq. tamquam epilogus additur disputatio de eis qui vel terna vel bina vel singula elementa esse existimaverint. De priore igitur quaestione illa omnino non disputatur.

Transeo ad Valeri Probi minoris Persi commentarium. In Persium Valerium Probum minorem composuisse commentarios colligitur ex titulo vitae: 'vita A. Persii Flacci de commentario Probi Valerii sublata', ad quem diu prorsus neclectum, ita ut Suetonio fere vita tribueretur, primus animum attendit O. Iahnius proll. Pers. p. CXXXVI, qui de Valeri Probi Berytii commentario putavit cogitandum esse. Iahni sententiam secuti sunt

27) Miror Keilium p. 13 tantum verba 'hic Anaxagoras .... comes' (v. 10—13) uncis appositis damnasse, cum quae secuntur 'hic principium omnium sensum facit' post verba 'Anaxagoras quattuor elementis constitutis rectorem adiungit sive spiritum sive deum sive mentem per quem haec quattuor regantur' non magis videantur posse ferri.

Bergkius diar. ant. stud. 1845 p. 124 sq. cf. p. 129 sqq. et Reifferscheidius Suet. rell. p. 394 sqq., Osannus proll. ad Cornut. p. LXIX sq. de Probo iuniore quodam cogitare maluit. Iam Berytio ex nostra ratione commentarius Persi tribui nequit, quominus Probo minori tribuatur, nihil est quod prohibeat. Doctissimum enim fuisse vitae scriptorem neque ita longe remotum a Persi ipsius aetate O. Iahnius demonstravit. Quod autem sublata de Probi commentario vita dicitur, id Iahnius propter perturbatam vitae qualem nunc habemus condicionem ita explicandum esse existimavit, ut ex diversis Probi adnotationibus vita esset congesta, sed rectius Bergkius l. c. p. 125 contulit vitae Thucydideae inscriptionem: *Μαρκελλίνου ἐκ τῶν εἰς Θουκυδίδην σχολίων περὶ τοῦ βίου αὐτοῦ Θουκυδίδου καὶ τῆς τοῦ λόγου ἰδέας* cf. Reifferscb. p. 396. Itaque ut commentario Vergili vita Vergili ita Persiano commentario praemissa erat vita Persi, atque ut Vergili vitam Probianam ita Persi vitam non habemus nisi misere excerptam atque interpolatam cf. Bergkius l. c. et Reifferscheidius p. 396 sqq. Praeter vitam vero Persi nihil exstat quod ad Persianum Valori Probi minoris commentarium certo referri possit, quamquam probabiliter O. Iahnius (proll. Pers. p. CLII sqq. cf. ed. a. 1868 p. 3) antiquae doctrinae vestigia quae in Cornuti commentario inveniuntur potissimum ex eodem commentario atque vitam servata esse suspicatus est; nam nomen illud Cornuti quod commentarius prae se fert, quamquam in codicibus etiam additur nomen Annaei, non ad philosophum et Persi praeceptorem, sed ad noni p. Chr. saeculi hominem pertinere mihi quidem Iahnius videtur demonstrasse [28]. Sed de singulis adnotationibus iudicare difficile est,

28) Iahni sententiam impugnaverunt Osannus proll. ad Corn. p. LXII sqq. et C. Fr. Hermannus in analectis de aetate et usu schol. Pers. (ind. schol. Gott. sem. aest. 1846) cf. eius schediasma de schol. Iuven. genere deteriore (ind. schol. Gott. sem. aest. 1849). Atque quae Osannus contra dixit levia sunt. Hermannus qui cum Osanno nomen quod commentum prae se fert ad Persi praeceptorem ut primum satirarum eius commentatorem ita referendum esse existimavit, ut fortasse lacinia aliqua commentari eius etiamnunc haesisse putaretur, duas potissimum res adversus Iahni sententiam attulit, primum discrepantiam scholiorum Persianorum Cornuti et scholiorum Iuvenalianorum qui sub eodem nomine ferrentur, sed eam rem

praesertim cum fortasse etiam Helenius Acron in Persium scripserit commentarium (cf. Iahn. p. CLVIII sq. et ed. a. 1868 p. 3) quem sub finem fere saeculi alterius p. Chr. fuisse Schottmuellerus (de Plini libris gramm. p. 32) demonstravit. Ceterum Acronis auctoritatem in Probi alicuius in Persium commentariis adhibitam esse testatur I. Parrhasius in epistula quae invenitur in Gruteri Lamp. I p. 735 (cf. Iahn. p. CLVII sq.), his usus verbis: 'Incidi in Probi grammatici commentarios in primam Persii Satyram, non illos, qui Cornuti nomine circumferuntur et quos Hermolaus ut Probi citat II castig. in Plin. in verbo Barba, sed alios longe maiori cura ac ingenio compositos. In iis ita scriptum legimus: *Curas Acroni proprie dicere videtur, quae si utiliter exercentur, virtutis locum obtinent, si in supervacuum desidiae.* Ex quibus apparet Acronem Probo fuisse vetustiorem'. De quibus verbis quid statuendum sit, difficile est dictu, sed licet omnia vera sint, certe multo videtur esse satius Parrhasium Valeri Probi minoris commentarium interpolatum invenisse statuere quam cum Osanno l. c. p. LXX de altero quodam commentatore Probo incognito cogitare. Atque Valeri Probi commentarium diu exstitisse ut statuamus, fortasse etiam illud aliquid facit, quod etiam ad scholia Iuvenaliana Probi nomen pervenit. Iuvenalis satiras a Valerio Probo minore non potuisse enarrari inde patet, quod Iuvenalis etiam per partem Hadriani imperi non ita parvam videtur vixisse: nam anno 127 eum etiam in vivis fuisse satis compertum est; tum

---

optime Iahnius ita explicavit, ut in Persio enarrando antiquis scholiis Cornutum usum esse statueret; atque similitudinem inter utraque scholia intercedere ne Hermannus quidem negavit, sed miro modo Persiani commenti eruditionem et diligentiam quamvis infelici successu Iuvenalis scholiorum scriptorem imitari studuisse statuit. Deinde Hermannus Isidorum commentario Persiano usum esse statuit, cum Iahnius Isidoro Cornutum usum esse censuisset. Duo autem maxime contra Hermannum faciunt, primum quod de Annaei Cornuti philosophi in Persium commentariis nihil est traditum — aliud enim est carmen ut edi possit emendare, aliud enarrare —, deinde quod eo differt hic commentarius ab aliis quod maxima pars scholiorum ad unum referenda est auctorem eumque satis recentis aetatis, cuius nomen quomodo evanescere atque Annaei Cornuti nomine permutari potuerit non satis intellegitur.

autem Probus, si etiamtum vixisset, quod non est verisimile, ex ratione nostra egisset annum septuagesimum aut septuagesimum quintum. Itaque si G. Valla in commentario quem in Iuvenalem composuit (editio eius emissa est Venetiis 1486) Probi cuiusdam scholia adfert atque in praefatione gloriatur sibi nuper compertos esse Probi grammatici in Iuvenalem commentarios nulli alii cognitos (cf. Iahn. p. CLIV sqq. et ed. a. 1868 p. 6), ita facillime mihi haec res videtur posse explicari, ut Iuvenalis satiras cum commentario statuamus una cum Persio et Valeri Probi in Persium commentario in uno fuisse codice — saepe autem Iuvenalem et Persium in codicibus coniunctos esse constat cf. Iahn. p. CLVII —, deinde cum ex eiusmodi codice Iuvenalis cum scholiis seorsum describeretur, Persi scholiastae nomen errore etiam ad Iuvenalis scholia esse relatum[29]. Ceterum scholiis Iuvenalianis Probi Valliani quae tantum ad octo satiras priores pertinent magna est similitudo cum scholiis codicis Pithoeani. — Cum Probiana vita Persi prorsus conveniunt quae Hieronymus de Persio adnotavit: ad a. 787 vel 34 'Persius Flaccus satiricus poeta Volaterris nascitur' et ad a. 815 vel 62 'Persius moritur anno aetatis XXVIII'[30]. Licet autem haec sint eiusmodi ut vix potuisse videantur aliter tradi, tamen probabiliter Reifferscheidius p. 395 et 423 suspicatus est non modo in Persi vita adumbranda, sed etiam in aliorum vitis describendis Suetonium usum esse Valeri Probi commentariis vitis scriptorum adornatis; quamquam quatenus Suetonius Probum minorem secutus sit non facile poterit decerni. Sed quod idem Reifferscheidius p. 371 Suetonium etiam in eis quae de poematis generibus disputarit de quibus ea quae apud Diomedem p. 482, 13 — 492, 14 excerpta sint Probianis commentariis usum esse suspicatur, sane ad eiusmodi disputationem magno

29) Haec explicatio mihi probabilior videtur quam Iahni sententia qui p. CLVII suspicatur Vallam codice usum qui praeter Iuvenalem eiusque commentarium etiam Persium cum scholiis et vita Probiana continuerit errore auctoris vitae Persianae quae primum locum obtinuerit nomen etiam ad Iuvenalis scholia rettulisse.

30) Quod in vita traditus est numerus XXX librariorum neclegentiae tribuendum videtur.

usui esse potuerunt Valeri Probi minoris commentariorum Terenti Vergili Persi prooemia, sed num verum sit quod primus statuit O. Iahnius (mus. Rhen. IX p. 629 sq. cf. H. Keilius gramm. Latt. I p. LIV sq.) totam Diomedis de poematis disputationem Suetonio deberi, perquam mihi videtur esse dubium. Atque ipse Reifferscheidius, praeterquam quod quae Suetonius in praefatione libri de poetis de poesis generibus exposuisset a Diomede sibi persuasit esse non modo contracta, sed etiam prorsus mirum in modum perturbata atque confusa, etiam emblemata quaedam vel ab ipso Diomede vel a librariis inserta esse statuit (p. 378 sq.). Iam supra (p. 123) ex eis verbis quae in fine eorum quae de bucolicis exponuntur legimus (ʻputant autem quidam hoc genus carminis primum Daphnin conposuisse, deinde alios conplures, inter quos Theocritum Syracusanum quem noster imitaturʼ) recte Reifferscheidium (cf. O. Ribbeckius in Fleckeiseni ann. phill. 1863 p. 355) mihi videri dixi collegisse ex Vergiliano commentario ortam esse Diomedis de bucolicis disputationem. Haec igitur Diomedem Reifferscheidius putat Suetoni expositioni addidisse: cum enim trium poesis generum omnium Vergilius eclogas in bucolicis posuerit (Prob. p. 7, 15 sqq.), non facile bucolicum genus Suetonium in communis speciei generibus potuisse referre. Sed in eis ipsis verbis quibus tria poematos genera describuntur (p. 482, 14—25) accuratius inspicienti occurrunt indicia quaedam quibus probetur etiam haec hausta esse ex commentario Vergiliano (cf. Prob. p. 7, 12 sqq.) neque magis ad Suetonium referri posse quam quae de bucolicis legimus: nam Vergili nomine omisso v. 19 sq. legimus: ʻquo genere scripta est prima bucolicon et ea cuius initium est *Quo te Moeri pedes*ʼ et v. 21 sq. ʻut se habent tres georgici et prima pars quartiʼ. Atque aliunde petita esse p. 482, 14—25 atque ea quae secuntur vel inde apparere videtur quod p. 483, 3 ʻgeorgica Vergiliiʼ ad exegeticum genus referuntur, p. 482, 22 tantum ʻtres georgici et prima pars quartiʼ. Eodem modo inde quod in eis quae de quattuor poematos characteribus p. 483, 7—26 exponuntur Aeneide non nominata exempla ex Aeneide petuntur colligendum esse puto haec ex Aeneidis commentario fluxisse. Atque haec etiam Reifferscheidius ut a Sue-

toni consilio aliena a reliquis seiunxit, sed miror eum ad solum opicum carmen haec spectare statuere. Iam si constat ea quae Diom. p. 482, 13 — 492, 14 legimus diversas habere origines — etiam p. 485, 18—29 Reifferscheidius Suetonio deberi negat ex scholiis Horatianis ea hausta esse suspicans —, si in copiosioribus de singulis poesis generibus disputationibus minime videmus eum ordinem servari quem secundum ea quae antea exposita sunt exspectamus, id quoque ad diversitatem fontium revocandum est cf. Christius in philol. vol. XVIII p. 161, quocum mihi etiam haec conveniunt, satis incertum esse num ipsum Suetonium Diomedes secutus sit atque in praefatione libri de poetis Suetonium de poematis generibus vix potuisse copiosius disserere.

Ac de Terenti Vergili Persi commentariis a Valerio Probo compositis constat, de aliis commentariis tantum conici potest. Atque fortasse ut in Terentium atque Vergilium, ita etiam in Sallustium Aemili Aspri exemplum secutus commentarios composuit. Certe non parvam in Sallustio operam eum posuisse ex Gelli testimoniis apparet. Gell. I, 15, 18 enim haec legimus: 'Valerium Probum grammaticum inlustrem ex familiari eius docto viro comperi Sallustianum illud *satis eloquentiae, sapientiae parum* (Catil. 5, 4) brevi antequam vita decederet sic legere coepisse et sic a Sallustio relictum affirmavisse: *satis loquentiae, sapientiae parum,* quod loquentia novatori verborum Sallustio maxime congrueret, eloquentia cum insipientia minime conveniret'. De verbis 'sic legere coepisse' ex quibus non parvom studium in Sallustio ab eo conlocatum esse officitur iam supra (p. 78) dixi. Ceterum Probi coniecturam, quamvis ingeniose sit excogitata, minime necessitatem habere patet [31]).

31) Adnotandum est verbum loquentiae non a Valerio Probo excogitatum esse, sed a Iulio Candido, Plini minoris ut videtur amico, de quo Plin. epp V, 20, 4 legimus: 'est plerisque Graecorum ut illi (Fonteio Magno Bithyno) pro copia volubilitas: tam longas tamque frigidas perihodos uno spiritu quasi torrente contorquent. itaque Iulius Candidus non invenuste solet dicere aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam. nam eloquentia vix uni aut alteri, immo si M. Antonio credimus nemini, haec vero quam Candidus loquentiam appellat multis atque etiam inpudentissimo cuique maxime contigit'. Hunc Iulium Candidum admodum verisimile est eundem esse ac Ti. Iulium Candidum qui iterum consul fuit a. 105. Iam Plinius de verbo

Praeterea III, 1, 5 ubi de verbis satis difficilibus, quae Cat. 11, 3 de avaritia dicuntur ('avaritia pecuniae studium habet quam nemo sapiens concupivit; ea quasi venenis malis imbuta c o r p u s a n i m u m q u e virilem effeminat') disputatur, ad Probum haec pertinent: 'vix ego haec dixeram cunctabundus atque inibi quispiam de sectatoribus Favorini qui videbatur esse in litteris veterator *Valerium* inquit *Probum audivi haec dicere: usum esse Sallustium circumlocutione quadam poetica, et, cum dicere vellet hominem avaritia corrumpi, corpus et animum dixisse, quae duae res hominem demonstrarent; namque homo ex anima et corpore est. Numquam,* inquit Favorinus, *quod equidem scio tam importuna tamque audaci argutia fuit noster Probus, ut Sallustium vel subtilissimum brevitatis artificem periphrasis poetarum facere diceret*'. Iam cum artificiosa aliqua explicatione ab alio prolata Favorinus ipse ad extremum dicat: 'aut hoc quod dixisti probabile est, aut Sallustius odio avaritiae plus quam potuit eam criminatus est', sectator ille Favorini, quem eundem una cum Favorino olim Valeri Probi minoris discipulum fuisse ex verbis 'noster Probus' quibus Favorinus utitur atque ex totius loci condicione apparet, fortasse verum dixit; quod si est, meliore verborum explicatione desperata ad illam quam sectator ille Favorini protulit confugisse statuendus est Valerius Probus. Ceterum similiter num Valerius Probus quiddam scripserit, dubitatur XV, 30, 5, de quo loco infra dicendum erit [32]).

---

loquentiae tamquam de verbo huius Candidi proprio loquitur. Quod vix potuit, si iam antea Valerius Probus hanc vocem non modo invenisset, sed etiam Sallustio vindicasset. Itaque anno 106 — eo enim anno Plini epistularum liber quintus secundum Mommseni (Herm. vol. III 1868 p. 47 sq.) rationem editus est, cum Massonius vit. Plini p. 125 sq. epistulam V, 20 anno 102 scriptam esse statuisset — nondum hanc coniecturam Probus fecerat, atque verisimile est ipsum illud Candidi dictum in causa fuisse ut Probus in illam coniecturam incideret. Atque quod hoc post annum 106 factum est optime congruit cum Gelli verbis 'brevi antequam vita decederet'. Haec igitur ex nostra ratione egregie conveniunt, cum Valerius Probus Berytius non possit putari etiam vixisse post annum 106. Habemus igitur novom indicium quo probetur alium esse Probum Gellianum, alium Suetonianum.

32) Merckiius in commentatione quam de Gelli ratione auctores suos

Etiam Plauto legendo Valerium Probum minorem operam dedisse ex Gell. VI, 7, 3 apparet. Ibi Annianum poetam de quo nihil praeter Gelli testimonia satis tenuia (cf. IX, 10 et XX, 8) scimus legimus affatim ut admodum prima acuta, non media pronuntiasse atque ita veteres locutos censuisse itaque dixisse se audiente Plauti Cistellariae versum quendam Probum grammaticum legisse. Sed hunc locum apparet non sufficere ut de Plauti commentario cogitare possimus. Ceterum totam Anniani disputationem § 1—5 Valeri Probi auctoritate niti coniecit Kretzschmerus de Gelli fontt. p. 91 et 101. Quod propterea non possum probare quia ea quae § 5 legimus: 'addebat etiam quod ad praeverbium tum ferme acueretur, cum significaret ἐπίτασιν quam intentionem nos dicimus sicut adfabre et admodum et adprobe dicuntur' quae deinde a Gellio refutantur non puto tribui posse Valerio Probo grammatico inter suam aetatem praestanti scientia (Gell. IV, 7, 1). Sed causam cur affatim prima acuta esset pronuntiandum non est dubium quin Probus eandem protulerit quam Annianus § 4 profert, nimirum quod affatim non essent duae partes orationis, sed utraque pars in unam vocem coaluisset. Itaque Annianus qui ut Favorinus Probi discipulus vel familiaris fuerat veram Probi rationem et sua commenta permiscuit. Ut autem nullius Probi libri hoc loco fit mentio, ita ne coniecerim quidem Probum de hac re quidquam edidisse, praesertim cum de simili re non libro aliquo grammatico, sed epistula egerit. IV, 7 enim Gellius tradit Valerium Probum Hannibalem et Hasdrubalem et Hamilcarem ita pronuntiasse ut paenultimam circumflecteret teste epistula eius scripta ad Marcellum, in qua Plautum et Ennium multosque alios veteres eo modo pronuntiasse adfirmaverit, solius tamen Enni versum

indicandi atque adhibendi conscripsit, quae inserta est Fleckeiseni annall. philol. supplemento tertio, p. 663 sq. In Gelli verbis X, 26, 1 'Asinio Pollioni in quadam epistula quam ad Plancum scripsit et quibusdam aliis C. Sallustii iniquis dignum nota visum est quod —' de Valerio Probo et T. Castricio cogitandum esse suspicatus est atque ad eosdem etiam ceteras Sallusti reprehensiones quarum apud Gellium mentio fit statuit pertinere. Sed recte Kretzschmerus annall. phill. 1862 vol. 85 p. 367 Gell. I, 15, 18 et III, 1, 5 Sallustium a Probo reprehendi negavit (cf. Kretschm. de Gelli fontt. p. 65 et Merckiin. annall. phill. 1861 vol. 83 p. 720 sq.).

unum posuerit. Atque minime ego cum Kretzschmero p. 82 putaverim Varronis Valgi Rufi aliorum exemplo soluta epistularum forma Probum usum esse, ut variis quaestiunculis idoneum locum adipisceretur. Nam vel illud quod unum tantum exemplum posuit mihi satis videtur ostendere tantum strictim eam rem Probum attigisse, non dedita opera in eam inquisivisse. Ceterum in hac quoque re recto Probus iudicio usus est; neque enim dubium est quin veteres Latini Poenorum ipsorum pronuntiationem sint secuti.

Praeter commentarios scriptorum Valerius Probus minor scripsit 'commentarium de occulta litterarum significatione in epistularum C. Caesaris scriptura', cuius mentionem facit Gellius XVII, 9, 5. Qui cum hunc commentarium satis curiose factum appellet, perquam est verisimile omnia quae illo capite Gellius de clandestinis litteris atque nuntiis tradit ex Probi commentario petita esse; nam proemi vel epilogi loco apte de aliis litteris atque nuntiis clandestinis disseri poterat (cf. Kretzschmerus p. 83). Atque de Probi commentario ita videtur statuendum, ut Probum rursus detexisse putemus qua ratione in his epistulis litterae essent permutatae: nam si de hac re constabat, non intellego quid omnino sibi voluerit commentarius ille. Ex Probi autem commentario Suetonius videtur petivisse non modo quae de Caesaris notandi ratione Caes. 56 tradit: 'item (exstant epistulae eius) ad familiares domesticis de rebus, in quibus si qua occultius perferenda erant per notas scripsit, id est sic structo litterarum ordine ut nullum verbum effici posset: quae si quis investigare et persequi volet quartam elementorum litteram id est d pro a et perinde reliquas commutet'; sed etiam ea quae de Augusto leguntur Aug. 88 extr.: 'quotiens per notas scribit, b pro a, c pro b ac deinceps eadem ratione sequentis litteras ponit, pro x autem duplex a'. Neque minus ex eodem fonte fluxisse videntur quae Isidorus origg. I, 24 de notis litterarum tradidit, quamquam non est verisimile ipso Probi libro Isidorum usum esse. Reifferscheidius quidem p. 419 inde quod Suidas s. v. *Τράγκυλλος* Suetonium scripsisse testatur *περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων α΄* Isidorum illa ex Suetonio hausisse conieoit, sed mihi quidem Suidae verba ad solas notas criticas re-

ferenda videntur, si autem una cum notis criticis alias notas Suetonius tractavit, potius de distinctionibus et similibus notis cogitaverim qnam de eis notis quibus libri non nt notis criticis insigniti, sed ut litteris volgaribus contexti sint [33]). Quod autem Snetonius Aug. 88 extr. Augusti notandi rationem eisdem describit verbis atque Augustus ipse in epistula cuius partem servavit Isidorus, ex hac re in neutram partem quidquam effici potest.

Iam in re simili atque hic commentarius versatur libellus 'Valerii Probi de iuris notarum' vel 'iuris notarum' in bonis libris inscriptus; est enim notarum sive litterarum singularium laterculus. Hunc libellum qnem repperisse videtur Cyriacus Anconitanus a novicio commentario alphabetico quocum fere coniungebatur discrevit primumque accurate edidit Th. Mommsenus in act. soc. litt. Saxon. V 1853 p. 91 sqq., iterum edidit idem melioribus codicibus usus in Keili gramm. Latt. IV p. 267 sqq. Utramqne Mommseni recensionem recognovit Huschkius in Iurisprudentia Anteiustiniana (a. 1861 et 1867). Atque Mommsenus hunc commentarium vindicavit M. Valerio Probo Berytio, cui tribui non potest, quia non potest subici Probi Berytii scriptorum generibus a Suetonio commemoratis: nam non magis quam commentarium illum de Caesaris epistulis hunc libellum in minutis quaestiunculis Suetonius poterat numerare, quippe qui ipse scripserit ut ipsis Suidae verbis utar περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων. Sed hoc Mommsenus demonstravit dignum esse hunc tractatum primi p. Chr. saeculi homine. Iam cum de litterarum notis quas Isidorus vocat scripserit Valerius Probus minor atque Valeri Probi nomen codices exhibeant, eidem tribuamus oportet hunc qui est de litteris singularibus libellum. Neque contra meam de hoc tractatu sententiam puto illud recte adferri posse, quod nullum indicium in eo exstat quod ad aetatem ducat Nerone posteriorem (cf. Momms. act. p. 129, gramm.

33) Ob hanc rem ne volgares quidem notas una cum notis criticis Suetonium tractasse mihi persuadere possum; prorsus autem nullam habet verisimilitudinem quod in libri de viris inlustribus epilogo Reifferscheidius Suetonium putat haec omnia exposuisse cf. G. Beckerus in Fleckeiseni ann. phill. 1863 vol. 87 p. 649 sqq. et Christius in philol. vol. XVIII p. 160.

Latt. p. 267): ad Neronis enim aetatem pertinet nota CL. pro Clandio (§ 2, 8), deest antem FL. pro Flavio. Sed ex hac re nihil potest effici, habemus enim non integrum librum sed contractum: nam scriptorem qui in praefatione dicat privatas notationes comprehendere infinitum esse, publicas tenendas esse par est omnes publicas notationes adferre. At § 2 nota CL. una nomen non plene scriptum significat eaque miro modo praenominum notis interposita est; quod autem ad ipsas praenominum notationes attinet, non ita paucae atque in his satis volgares ac multo volgatiores quam OP. desiderantur velut A. AP. D. L. N. T.; denique § 2 extr. legimus: 'S · N · L · socii nominis Latini et similia. secundum haec curiarum nomina tribuum comitiorum sacerdotiorum potestatum magistratuum praefecturarum sacrorum ludorum rerum urbanarum rerum militarium collegiorum decuriarum fastorum numerorum mensurarum iuris civilis et similium ceterorum notationes propias habent' post quae adferuntur 'litterae singulares in iure civili'. Quae omnia clamant commentationem longe copiosiorem ac doctiorem misere esse contractam. Atque iam Huschkio od. II p. 68 exigua tantum pars notarum quas Probus composuisset ad nos pervenisse visa est. Quo magis mirandum est quod haec ei videtur fuisse libri inscriptio 'de iuris (civilis) notarum (significatione commentarius)'; sic enim ex Gell. XVII, 9 putat supplendam esse inscriptionem optimorum librorum 'de iuris notarum' vel 'iuris notarum' quam Mommsenus (gr. L. p. 267 sq.) ut neque argumento libelli satis aptam neque omnino Latinam labenti aetati tribuerat. Rursus mirum est quod Mommsenus, cum de argumento libri recte sentiret, epitomen nos habere non perspexit. Itaque ego sic statuo labentis aetatis iurisconsultum aliquem non modo ex Probi operibus excerpsisse id est sustulisse hunc commentarium (cf. Mommsenus p. 268), sed etiam ita contraxisse ut eorum quae non ad ius civile [34]) pertinebant paucis-

34) Non recte mihi videntur Mommsenus et Huschkius damnavisse verba 'iuris civilis' quae leguntur § 2 extr., nam quod deinde 'litteras singulares in iure civili' epitomator enumeravit mihi non videtur impedire quominus etiam § 2 extr. ubi exponit ad quas potissimum res notatio pertineat iuris civilis mentionem fecerit.

sima reciperet etiam nova inscriptione epitomae imposita. Si autem omnes notas publicas Probus minor persecutus est, apparet neque cum Mommseno act. soc. litt. Sax. p. 130 et 132 hunc librum magis usui hominum cotidiano statui posse destinatum fuisse quam ad artem revocatum, neque cum Riesio de Probi comm. Verg. p. 32 propter scriptoris iuris peritiam de Valerio Probo auctore posse dubitari. Habemus igitur Valeri Probi minoris libri epitomen, sed ne eam quidem habemus totam. In codice enim Einsidlensi 326 invenitur Papianus qui vocatur notarum laterculus auctus notis quibusdam, quarum dimidia fere pars in Probiano libello redit, reliquae non item. Cum autem hae illarum satis sint similes atque in fine Einsidlensis laterculi legatur ipsum epitomae principium, Mommsenus gr. L. p. 315 sq. (cf. Huschkius p. 67 sq.) recte statuit etiam eas notas quas apud Probum nunc desideraremus Probianam habere originem: nimirum in fine mutilum esse eum quem nos haberemus tractatum. Itaque Einsidlensis notarum laterculi scriptor integra usus est nostra Valeri Probi minoris libri epitome; nam alia epitome vel ipso Probi libro eum usum esse prorsus nihil est cur statuamus. Iam cum initio epitomae legamus: 'est etiam circa perscribendas vel paucioribus litteris notandas voces studium necessarium', perscribere autem oppositum sit ei quod proprie appellatur notare [35]), quamquam verba illa corrupta esse videntur, verisimile est antecessisse commentationem de notis volgaribus quas Isidorus (I, 21) vocat. Sed prima illa verba epitomatoris esse puto, non Probi ipsius, ob quam rem minime ex hoc loco coniecerim etiam volgares notas Probum minorem tractasse atque quae Isidorus I, 21 de his notis tradit et Suetoni de Tirone notarum inventore testimonium apud Hieronymum ad annum Ol. 193, 4 ex Ciceronis vita, ut recte Mommsenus et Rothius iudicaverunt cf. G. Beckerus in Fleckeiseni ann. phill. 1863 vol. 87 p. 651 [36]), servatum ex Probi mi-

35) Cf. Suet. Galb. 5 extr. 'sestertium quingenties cum praecipuum inter legatarios habuisset, quia notata non perscripta erat summa, herede Tiberio legatum ad quingenta revocante ne haec quidem accepit'.

36) Quod Hieronymus et Isidorus de Tirone eisdem verbis utuntur (Hieronymus dicit: 'M. Tullius Tiro Ciceronis libertus qui primus notas

noris commentario fluxisse. Sed fortasse ex hoc fonte ea quae Isidorus I, 22 de notis iuridicis (cf. Mommsenus p. 268 adn.) et I, 23 de notis militaribus (rerum militarium notae commemorantur Prob. § 2 extr.) tradit ita sunt repetenda, ut alios inter Probum et Isidorum intercessisse existimemus.

Restat ut disputemus de grammaticis libris Valeri Probi minoris et de libris grammaticis qui sub Probi nomine feruntur.

---

commentatus est' cet., Isidorus: 'Romae primus Tullius Tiro Ciceronis libertus commentatus est notas' cet.), vario modo mihi videtur posse explicari.

Cap. V.

De libris grammaticis qui Probi nomine sunt inscripti et de Valeri Probi minoris libris grammaticis.

Duo olim libri grammatici Probi nomine utebantur, liber de ultimis syllabis ad Caelestinum et liber de catholicis nominum et verborum. Hos libros primus edidit Ianus Parrhasius Mediolani 1504 et Vicetiae 1509. Atque Mediolanensis editio tantum eum quem priore loco commemoravi librum continet ita inscriptum 'Probi grammatici instituta artium ad Caelestinum', Vicetina utrumque hoc titulo addito 'instituta artium Probique Catholica' (in fine libri legimus 'expliciunt Instituta artium et Catholica Probi' cet.) cf. Keilius gr. L. IV p. VIII sq. Hos libros postea cum alii ediderunt tum Putschius qui eos ita inscripsit: 'M. Valerii Probi grammaticarum institutionum liber I' et 'M. Valerii Probi grammaticarum institutionum liber II qui est de catholicis nominum et verborum': nimirum hi duo libri tum Probi Berytii esse putabantur. Putschi inscriptionem secutus est Lindemannus in corporis sui grammaticorum Latinorum volumine I (Lipsiae 1831) quamquam in praefatione hos libros non Probi Berytii, sed Probi recentioris cuiusdam esse dicit. Proximo anno 1832 Guil. Freundius in nov. annall. phill. vol. V p. 90 sqq. certissimis usus argumentis demonstravit librum de ultimis syllabis ad Caelestinum neque esse instituta artium quae in initio catholicorum commemorarentur neque omnino ab eodem qui catholica composuisset potuisse scribi. Atque postea patefactum est in codice Vindobonensi 16, qui olim fuit Bobi, ex quo Parrhasius duos illos libros edidit, in quo librum ad Caele-

stinum secuntur catholica, librum ad Caelestinum omnino titulo carere, ut ex nonnullis catholicorum locis ubi instituta artium ut ante scripta commemorantur appareret Parrhasium titulum suum confecisse [1]) cf. anall. gramm. Vind. p. XVI et XVII, L. Spengelius in iudiciis Monacensibus 1840 p. 492, L. Lerschius diar. ant. stud. 1843 p. 627, Keilius gr. L. IV p. X et XXXI. Nihilo minus Osannus mire in hac re occaecatus in symb. ad hist. litt. Graecc. et Latt. II p. 171 sqq. cf. p. 228 sqq. librum ad Caelestinum esse illa instituta artium arcte tenuit. Itaque librum de ultimis syllabis ad Caelestinum, quippe qui nullo testimonio Probo tribuatur, missum facimus.

Huius autem locum quasi obtiuuit ars grammatica e codice Vaticano vetustissimo ab Angelo Maio class. auct. vol. V p. 153 sqq. a. 1833 primum edita. In codice Vaticano hic liber scriptoris nomine caret, sed cum propter vetustum librorum indicem in quo Probo tribuitur tum quia quae Cledonius p. 1933 P. 76, 11 K. Probo tribuit legimus in hac arte p. 272 ed. Rom. p. 147, 4 K. iam Maius hunc librum Probi alicuius esse suspicatus est. Praeterea iam Maius animum attendit ad duos codices Neapolitanos, Borbonicum IV A 15 s. XV vel XVI qui olim Iani Parrhasi fuit et Borbonicum IV A 16 s. XVI, qui eandem continent artem et alter quidem in fine adscriptis verbis: 'Finis Probi sequar Diomedem' cet. (cf. Osannus symb. II, 174 et Keilius l. c. p. XIII). Etiam in duobus codicibus Parisinis qui ex Vaticano descripti esse videntur (cf. Keil. p. XII sq.) hic liber Probo tribuitur quorum alter 7494 s. IX hanc exhibet inscriptionem: 'incipit tractatus Probi grammatici', alter 7519 s. XV titulum habet: 'Probi grammatici de octo orationis membris ars minor'. His duobus codicibus usi ac praeterea codice Vindoboneusi 17, olim Bobiensi, s. VIII vel IX in quo primus libri quaternio cum

1) Ceterum librum ad Caelestinum neclegenter Probo tribuisse videtur iam is qui in codicis Parisini 7520 folio 1 saeculo undecimo ut Keillo visum est haec scripsit: 'ARS PROBI DE ULTIMIS SYLLABIS CUIUS DECLINATIONIS UEL UBI Praepositiones locorum quattuor uulgo seruantur ex in. ad. ab. audio. audiebam audeo audebam', post quae secuntur excerpta cath. p. 3, 2 inde a verbis 'nunc de catholicis' usque ad p. 33, 7 cf. Keilius p. VIII. Huic antem testimonio prorsus nihil potest tribui: nam omnino neclegentissimum scriptor se praebuit cf. Keilius p. XI.

titulo intercidit, iterum hanc artem ediderunt Endlicherus et Eichenfeldius in anall. gramm. (1837) p. 227 sqq., inscriptionem codicis Parisini 7519 secuti; auxerunt autem hanc artem appendice quam vocaverunt i. e. tractatu grammatico qui in codice Vindobonensi nulla inscriptione addita artem illam sequitur; praeterea ex eodem codice ediderunt de nomine fragmentum sic inscriptum: 'incipit Valerii Probi de nomine'. De quattuor igitur libris nobis dicendum est: de catholicis, de arte Vaticana, ut hac interim utamur appellatione, de appendice huius artis, de fragmento de nomine. De his primi quaestionem instituerunt analectorum grammaticorum editores p. XI sqq., sed satis habuerunt rem incohare. Tum copiosissime de hac re disputavit Osannus in symb. ad hist. litt. Graecc. et Latt. II p. 171—260, qui id maxime egit ut demonstraret quarto p. Chr. saeculo fuisse Probum grammaticum recentiorem, cui et liber ad Caelestinum et catholica et ars Vaticana essent tribuenda. Qui postea de his libris grammaticis dixerunt velut Spengelius in iudiciis Monacensibus 1840 p. 492 sqq. et L. Lerschius in diar. ant. stud. 1843 partic. 79 et 80, quamvis aliis in rebus ab Osanno dissentirent ac maxime miram Osanni libri ad Caelestinum defensionem reicerent, in eo tamen omnes Osanno sunt assensi, quod recentiorem aliquem Probum fuisse et ipsi statuerunt. Nuper autem recentiorem Probum grammaticum fuisse infitias ivit H. Keilius, qui commentatione 'de M. Valerio Probo grammatico' inscripta, quae inserta est symbolae philoll. Bonn. p. 91—100, et in praef. gr. L. IV p. XVI sqq. demonstrare studuit quae M. Valerius Probus Berytius de compluribus artis grammaticae partibus scripta reliquisset, cum summam auctoritatem apud grammaticos nacta essent, postea in artem redacta esse; quam artem duobus libris sic dispositam fuisse licere suspicari, ut priore libro, qui consueto tum nomine instituta artium inscriptus esse videretur, de litteris et syllabis et de octo partibus orationis exponeretur, altero de catholicis nominum et verborum; ex his catholicon librum sic fere ut tunc compositus esset restitisse; instituta artium autem recentiore aetate in novam formam, quae et ad posterioris temporis utilitatem et ad primam linguae institutionem accommodata esset, redacta esse; quo factum esse ut, cum antiquiore libro

neclecto recentior quem hodie haberemus (i. e. ars Vaticana) solus servaretur, multa vetustioris doctrinae vestigia relinquerentur in catholicis, pauca in institutis (praef. p. XXX). De appendice artis Vaticanae, quae cum alia tum differentias continet quarum pars in codice Montepessulano 306 Probo Valerio tribuitur,. Keilius ita indicat: siquid omnino nomini Probi tribuendum sit, in hoc quoque differentiarum libello quaedam ex libris Probi quibus posteriores grammaticos usos esse constet excerpta esse videri quae postea cum aliis observationibus ex consuetudine extremae aetatis profectis mixta sint (ib.). Denique eodem modo in fragmento de nomine complura inesse putat quae cur a Berytio grammatico abiudicemus nulla prorsus sit causa (ib.). Hanc Keili rationem, quam comprobavit Brambachius libri sui orthographici p. 33 sqq., improbavit Bernhardyus hist. litt. Latt. ed. 4 p. 868 adn. 589, impugnavit Hermannus Wentzelius commentatione quam inscripsit 'de Probo artifice Latino', quae inserta est symbolae in honorem Stinneri directoris gymnasi Oppoliensis collectae (Oppoli 1867). Defendit rationem suam Keilius, sed ita ut non nihil eam mutaret, in Fleckeiseni annall. phill. 1867 p. 638 sqq. Mihi, quod iam supra (p. 95 sq.) indicavi, Keili sententia omni videtur carere fundamento, nam observationes sermonis antiqui in artem quae ad sermonem universum spectaret redigi potuisse mihi prorsus videtur esse negandum. Accedit quod Keili ratio maxime est artificiosa, cum ea quae de arte Vaticana statuit omni careant specie verisimilitudinis. Sed cum possit aliquis exsistere qui potius de Probi minoris libris grammaticis a grammaticis inferioris aetatis excerptis atque immutatis cogitandum esse sibi persuaserit — tum autem tantum alterum argumentum valeret —, consideremus ipsos libros.

Ac primum quidem de catholicis et de arte Vaticana dicendum est. Codex Vindobonensis 16, qui saeculo VII vel VIII scriptus esse putatur cf. Keilius p. VIII, quo solo [2]) catholica servata sunt, hanc habet inscriptionem 'de catholicis Probi', in

2) Ex Vindobonensi enim descripti sunt duo codices Neapolitani cf. Keil. p. VIII atque etiam excerptorum Parisinorum eundem codicem fontem esse propter verba ARS PROBI DE ULTIMIS SYLLABIS cet. de quibus supra dixi verisimile est.

fine eius partis quae est de verborum ratione (post p. 40, 13 K.) legimus: 'finit de catholicis Probi (ars Servi gram' explicit) feliciter' verbis 'ars Servi gram'' punctis notatis, in fine libri hanc subscriptionem codex habet: 'feliciter ars Probi grammatici urbis explicit catholica' [3]), denique 'Probi catholica' legimus in titulo membranae qua olim codex involutus erat cf. Detlefsenus philol. vol. XIII p. 316 [4]). Quod ad priorem subscriptionem attinet, cum verba 'ars Servi gram' explicit' tum totam subscriptionem recte librari errori tribuit Keilius p. XXVII adn. Quibus codicum testimoniis ars Vaticana Probo tribueretur, iam supra exposui. Ad codicum autem testimonia accedunt posteriorum grammaticorum commemorationes quas infra colligam. Itaque hi duo libri grammatici cum codicum tum posteriorum grammaticorum testimoniis Probo tribuuntur. Tamen hos libros ab eodem grammatico scriptos esse aut ex eodem fonte fluxisse negandum est. Atque illud primus demonstrare studuit Lerschius l. c. p. 629 sq., postquam iam antea Spengelius l. c. p. 494 catholica Probi artigraphi esse negavit. Lerschi rationem comprobavit Wentzelius symb. crit. ad hist. scriptt. rei metr. Latt. (Vratislaviae 1858) p. 35, qui postea de Probo artifice p. 9 sqq. etiam alterum illud, ne e communi fonte quidem fluxisse catholica et artem Vaticanam, ad Keili rationem refutandam conatus est demonstrare. Multa autem eis quae Wentzelius attulit addi posse puto. Sed antea pauca de universa horum librorum indole dicendum est. Atque catholica divisa sunt in partes tres, de catholicis nominum, de catholicis verborum, de structuris. Ac prima parte quae longe est maxima — posteriores partes duae primae partis unius vix triens sunt — de nominum declinatione ita exponitur, ut brevissima disputatione de casuum terminationibus per quinque declinationes (p. 3—5, 19 K.) et de terminationibus nominativi quinque declinationum (p. 5, 20—6, 21 K.) praemissa per singulas litteras atque syllabas demonstretur qualis nominativos qualem faciat genetivom, in quo maxime nominum r et s litteris terminatorum

3) Ea quae in codice secuntur 'item alio modo — ex trisyllabo et isdem' (p. 43, 11—30 K.) nihil ad catholicorum librum pertinere dudum intellectum est.

4) Detlefseni disputationem mihi indicavit H. Usenerus.

ratio habetur (p. 6, 21—31, 35); addita est brevis expositio de monosyllabis, de numero terminationum singulorum casuum, denique de formis casuum (p. 32, 1—33, 7); altera parte quae est de catholicis verborum (p. 33, 8—40, 13 K.) similiter per singulas litteras novissimam litteram o antecedentes quomodo secunda persona praesentis et perfectum fiant demonstratur, tertia parte quae est de structuris (p. 40, 14—43, 10 K.) de terminationibus oratoriis disputatur. Arte Vaticana, postquam breviter disputatum est de voce de arte de litteris de syllabis, exponitur de octo partibus orationis hoc ordine peculiari: de nomine, de pronomine, de participio, de adverbio, de coniunctione, de praepositione, de interiectione, de verbo. Inter hos igitur libros primum hoc interest, quod in catholicis compareut vestigia quaedam antiquae doctrinae (cf. Keilius p. XXVI), in arte Vaticana non item (Keil. p. XXVIII), pro antiquae doctrinae vestigiis hic invenimus permulta perversa atque mira. Deinde genus dicendi in his libris invenitur diversissimum (cf. Wentzelius de Prob. art. p. 9 sq.): in catholicis invenimus orationem astrictam, in arte Vaticana ambages ita molestas, ut nihil in hoc genere videatur posse cogitari molestius. Atque hae quidem res non obstant quominus cum Keilio hos libros ex eadem origine ita deducamus, ut artem Vaticanam duplicem commutationem putemus esse passam. Neque magis obstat quod in arte Vaticana frustra ea quaerimus quae in catholicis legimus in institutis artium esse exposita, de qua re postea accuratius dicam, aut quod in utroque libro proprius invenitur loquendi usus, velut in arte Vaticana litterarum nomina semper sunt neutra (cf. p. 48, 36), in catholicis sunt et neutra et feminina et ita ut praevaleat genus femininum; in catholicis indeclinabilia appellantur monoptota, in arte Vaticana aptota, similia. Sed obstat differentiarum quae in praeceptis ipsis versentur multitudo. Ubi enim demonstratum erit de permultis rebus in his libris diversa atque contraria praecipi de communi origine non iam poterit cogitari. Atque huius generis exempla Wentzelius p. 10 sqq. attulit decem, quorum cum duo mihi non videantur esse satis apta[5];

5) Quomodo ea quae cath. 11, 19. 27. 32, 2 de voce ir leguntur pugnent cum arte Vat. 101, 7, non intellego, Vaticanae enim artis loco

multa reliquis addi posse puto. Itaque Wentzelius vidit non inter se convenire quae legimus cath. 12, 25 sqq. et a. Vat. 128, 17 sqq. (auctor et auctrix cf. a. Vat. 91, 31 sqq.), cath. 16, 8 sqq. et a. Vat. 82, 38 sqq. (pauper et paupera cf. app. 194, 20 et 197, 31), cath. 25, 13 sqq. et a. Vat. 79, 27 sqq. cf. de nom. 211, 9 (Maecenae et Maecenatis cf. Lerschius l. c. p. 630), cath. 29, 9 sqq. et a. Vat. 125, 34 sqq. (et 81, 11 sqq.) (Achatae et Achatis), cath. 29, 20 sqq. et a. Vat. 116, 9 (artus cf. app. 193, 22), cath. 25, 8 sqq. et a. Vat. 109, 25 (domus et domi cf. a. Vat. 152, 20 sqq.), cath. 8, 9 sqq. et 17, 6 sqq. et a. Vat. 48, 18 et 122, 17 sqq. (Iuppiter cf. de nom. 215, 18 sqq.), cath. 14, 8 sqq. et a. Vat. 118, 3 sqq. (singularia tantum cf. a. Vat. 121, 6 sqq. et 122, 18 sqq.). Praeterea autem cath. 3, 8 legimus: 'prima declinatio neutrum nomen non habet ... exceptis quibusdam generis omnis ut hic et haec et hoc verna, hic et haec et hoc advena' cet., cum artis Vat. scriptor non agnoscat nomina generis omnis ablativo casu a terminata 86, 33 sqq. cf. 75, 6 ideoque etiam nomina Latina generis neutri nominativo casu a terminata esse negat 87, 17 cf. 121, 19 [6]). — Cath. 4, 15 legimus 'o Salusti', 9, 2 'o Terenti', 19, 7 'o Vergili, o Terenti'; a. Vat. 105, 15 et 17 'o Mercurii' (etiam 105, 5 propter 105, 18 necessario scribendum est 'o Sempronii', cf. Varr. ap. Charis. p. 78, 6). — Cath. 5, 7 'hi et hae, hos et has et o senatus manus'; a. Vat. 114, 10 'hi fluctuus ... hos fluctuus o fluctuus' cf. 25 'hae por-

---

non de syllaba ir sed de syllaba vir atque praeterea de masculinis in ablativo o littera terminatis agitur. Deinde quod cath. 24, 16 legimus: 'Gyas Gyae vel Gyantis' non puto pugnare cum a. Vat. 80, 26 et 38, ubi quaeritur ad quamnam formam declinationis genetivos Gyae vel accusativos Gyan pertineat; nusquam enim 'Gyantis' ferri posse negatur, at 81, 12 sqq. probatur Achata vel Achates Achatae et 125, 34 sqq. Achates Achatis.

6) 121, 20 sqq. etiam apud Keilium hoc portentum invenimus: 'item in his nominibus generis neutri quae diximus a b l a t i v o casu u. s. a littera terminari hoc monemus quod' cet. Agitur enim de declinatione glossematis. Necessario autem scribendum est 'nominativo' ut antea legimus v. 18 'sane hoc monemus quod quaecunque nomina generis neutri n o m i n a t i v o casu u. s. a littera terminantur haec Graeca esse reperiantur'. Nimirum librarius dormitans pro 'nominativo' id substituit quod in eis quae antecedunt sexcenties in similibus locutionibus scripserat

tenus ... has porticuns o porticuns' cf. 116, 33 sqq. — Cath. 5, 17 'genetivus (qnintae declinationis) indifferenter et rum et um accipiet, harum specierum vel speoieum'; a. Vat. 88, 1 'hae species harum specierum his speciebns' cf. 123, 15 'quaecunque nomina ablativo casu numeri singularis e producto terminantur, haec in eodem ablativo casu rum syllabam accipinnt et genetivum casum numeri plnralis ostendunt'. — Cath. 7, 13 'D: hac littera nullum nomen repperi terminatum; doceat declinationem qui potuerit reperire'; a. Vat. 112, 30 'in hac forma hoo monemus quod hoc unum nomen reperiatur qnod nominativo et accusativo et vocativo casu num. sing. d littera definiatur, id est aliud' cf. 105, 23 et 84, 24 [7]). — Cath. 8, 13 'I littera terminata nomina quattuor tantum modo repperi sine aliqua declinatione. nam monoptota sunt [8]), dno generis omnis hio et haec et hoc nihili frugi et dno generis nentri nnmero tantum modo singulari hoc oummi, hoc sinapi'; a. Vat. 98, 40 'ex hao forma qua diximns generis nentri nomina ablativo casu numeri singularis i littera tantum terminari hoo monemns quod plns quam septem nomina non possint exhiberi' et 99, 12 'ex hao forma qua diximus generis omnis nomina abl. casu nnm. sing. i littera tantum terminari plus qnam quinque nomina non possunt exhiberi'. — Cath. 8, 20 'L littera terminata nomina Latina generis masculini et feminini exceptis quattuor nulla reperies, hio sol, haec Tanaquil ..., hio consul, hio et haec et hoo exul'; a. Vat. 65, 17 sqq. et 92, 28 sqq. exemplum est pugil et 66, 16 legimus: 'nunc etiam hoc monemns in hac forma generis communis qua diximus in positivo gradu nomina il litteris definiri, quod ex ea forma plus quam septem nomina non possint exhiberi' cf. 92, 33 sqq. et 90, 22 'itom ex illa forma qua diximns generis masculini nomina nom. oasn ul litteris definiri et in genere feminino vel neutro necesse esse pro locutione pronuntiari hoo monemus qnod plus quam XI nomina non possint exhiberi'. — Cath. 8, 23 'hic et haec et hoc exsul' et 14, 16 'hic et haec et hoc fur'; a. Vat. 90, 6 'in hac forma generis masculini ... hoo monemus,

7) Iam Lerschius l. c. p. 629 sq. cath. 7, 13 contulit cum a. Vat. 105, 23.

8) Hic necessario distinguendum est, quod Keilius praetermisit.

quod quaecunque nomina nom. casu num. sing. his tribus formis definiuntur, id est copo exsul fur et cetera talia, haec si ex sua specie in genera feminina vel neutra transeunt, non secundum genus femininum vel neutrum sint declinanda, sed pro locutione pronuntianda' cet. — Cath. 9, 8 'composita generis omnis hic et haec et hoc tibicen cornicen fidicen'; a. Vat. 93, 12 'at vero quaecunque nomina generis scilicet communis his duodecim formis definiuntur, id est tibicen memor [9]) optimas [10]) cet., et ex sua specie in genera neutra transeunt, haec non secundum genus neutrum sunt declinanda, sed pro locutione pronuntianda' cet. — Cath. 13, 7 'cer terminata, si sint generis omnis, tertiae sunt ..., hic et haec et hoc acer'; a. Vat. 92, 28 'quaecunque nomina generis communis his tribus formis definiuntur id est pugil acer fortis' cet. cf. 58, 2 sqq. et 64, 3 sqq. — Cath. 17, 22 'vir terminata secundae sunt declinationis, ri faciunt genetivo, vir viri, Trevir Treviri'; a. Vat. 101, 4 'ex hac forma generis masculini qua diximus ablativo casu n. s. nomina o littera terminari et nominativo casu n. s. vir syllaba definiri plus quam unum supra dictum nomen (sc. vir) non potest exhiberi'. — Cath. 19, 17 et 30, 26 'vas vasis'; a. Vat. 125, 32 'ideo vas et cetera talia secundum formam suam aptote sunt declinanda'. — Cath. 19, 21 'unum facit res nominativo plurali, haec vis huius vis hae vires. Lucretius tamen numero plurali hae vis et has vis, ut sit nomen vires numero semper plurali' cf. 31, 1 'haec vis huius vis et plurali hae vis, sicut Lucretius et Varro: nam hae vires numero semper plurali declinantur'; a. Vat. 98, 19 'haec vis huius vis cet., haec sonum pluralem facere prohibentur' cet. — Cath. 21, 5 'omnia nomina neutra us terminata tertiae sunt declinationis ..., exceptis quattuor, vulgus pelagus pus virus, sed vulgus et pelagus secundae sunt declinationis .... pus et virus tres casus tantum recipiunt, in numero tantum modo singulari declinantur, hoc pus vel virus o pus vel virus' cf. 22, 19. 27, 1. 32, 2; a. Vat.

9) Propter 13, 3 nescio num recte Keilius cath. 12. 18 ubi codex habet 'hic et haec memor' verba 'et hoc' interposuerit.

10) Hanc vocem non novit catholicorum scriptor 24, 12 'mas Latinum unum monosyllabum repperi tertiae declinationis ris faciens genetivo, mas maris'.

113, 33 'nunc in hac forma generis neutri qua diximus ablativo nomina o littera terminari et nominativo us litteris post consonantem definiri hoc monemus, quod ex ea plus quam septem nomina non possint exhiberi'. — Cath. 24, 26 'et inveni genetivo Chremi, et antiqua est ratio declinationis dativo uti pro genetivo, *infelicis Ulixi* pro *Ulixis*' cet. cf. 28, 17 'nam quod Sallustius ait *ad bellum Persi Macedonicum*, non declinationem mutavit, sed antiqua usus est consuetudine, dativum posuit pro genetivo' cet.; a. Vat. 95, 13 'in his generibus quorum diximus nomina ablativo e littera correpta terminari sunt aliqua tredecim nomina quae in genetivo casu duabus his formis definiantur, id est is et i, ut puta huius Achillis et huius Achilli'. — Cath. 26, 31 'pos, si sint generis communis, tis faciunt genetivo, ut hic et haec nepos, quamvis multi haec neptis dicant, non haec nepos'; a. Vat. 90, 30 'quaecunque nomina nominativo casu numeri singularis his duabus formis definiuntur, id est nepos senex, haec si ex sua specie in genera feminina transeunt, in genere feminino sic anomale (ita pro 'anomala' scribendum videtur cf. 82, 7. 13. 105, 30. 112, 33) efficiuntur ut puta hic nepos haec neptis' cet. — Cath. 28, 1 'austerus austeri'; a. Vat. 67, 32 'hic vel haec austeris, non hic austerus'. — Cath. 31, 23 'u littera nomina terminata omnia neutra sunt quartae declinationis u terminantia genetivum et dativum et ablativum, sed producto; nominativum accusativum et vocativum u terminant, sed correpto' cf. 32, 30 sqq.; a. Vat. 121, 12 'sunt nomina monaria ut puta cornu'. — Cath. 33, 6 'sexta forma senaria est, in numero singulari pronomina sola regit, in plurali nulla, nullus nullius nulli nullum nulle a nullo'; a. Vat. 101, 23 'haec quattuor nomina tantum id est unus ullus nullus solus' cet. cf. 82, 6 et 111, 13[11]).

Haec habui quae adderem eis quae Wentzelius protulit. Iam apparere puto ne ex eodem fonte quidem catholica et artem Vaticanam potuisse fluere. Atque post Wentzeli disputationem Keilius, qui rationem quae inter catholica et artem Vaticanam intercederet antea miro modo omnino non tetigerat, praeterquam quod praef. p. XXX neque ab uno homine neque eodem tempore

11) Hanc discrepantiam iam attulit Lerschius l. c. p. 630.

ea quae Probi nomine inscripta essent (catholica, artem Vaticanam, libellum de nomine, differentias) composita esse dixit, rationem suam ita mutavit, ut in Fleckeiseni ann. phill. vol. 95 1867 p. 638 sqq., ubi de Wentzeli commentatione existimavit, ita statuat, quominus libros Probi nomine inscriptos quos pateat recentioris esse aetatis recentiori cuidam Probo tribuamus, illud obstare quod non eidem tribui possint; ob quam rem suspitionem ultro nasci rem nobis esse cum nomine veteris grammatici, qui posterioris aetatis hominibus pro grammatica ipsa fuerit cuiusque nomen artigraphi etiam eis praeponere consueverint ipsorum libris, quibus cum placitis eius communia fuerint pauca tantum vel adeo nihil; iam si etiam demonstrari possit re vera quaedam in his libris inesse quae cum Valeri Probi praeceptis ab aliis traditis conveniant, eam nos habere veritatem, quae in his rebus omnino possit contingere [12]; neque quidquam iam esse cur, quo quemque librum tempore scriptum esse verisimile sit, Probum quendam circumspiciamus, cui eum tribuamus, sed nomen Probi ubique ad celeberrimum grammaticum licere referre; atque catholicis et de nomine fragmento verisimile esse Probi nomen ideo tribui, quia Probi Valeri ipsius libris auctores usi sint, arti et de differentiis libello ideo tantum videri praepositum, ut doctrina grammatica significaretur ('nur zur Bezeichnung grammatischer Gelehrsamkeit'). Itaque alia atque antea nunc ratione Keilius Probi nomen catholicis arti de nomine fragmento differentiis praepositum explicat et in arte et in differentiis nihil inesse concedit quod ad Valerium Probum referri possit [13]. Iam hanc novam Keili rationem, ad quam magis

12) Quid ex hac re efficiatur ego prorsus non video; nam si hanc quam Keilius volt sequimur rationem, omnino nihil interest utrum quae in his libris leguntur conveniant eum aliorum testimoniis necne. Sed de tota re postea dicam.

13) In commentatione de M. Valerio Probo grammatico p. 99 Keilius ita de arte Vaticana indicavit: 'quamquam ne in hoc quidem libro nomine Probi alium atque veterem illum Berytium grammaticum significari puto, neque causam esse video cur recentem eiusdem nominis grammaticum fuisse dicam, tamen in tali quidem libro praeter ipsum nomen quid ex illius doctrina relictum sit vix dici potest, neque accuratius ea de re quaerere multum interest', in praefatione autem voluminis quarti grammaticorum p. XXIX:

probandam p. 643 librorum grammaticorum qui Herodiani nomine utuntur mentionem facit, Probum Berytium tamquam Herodianum Latinum fuisse iudicans, ut facile possimus refutare, illud facit quod Probi catholicorum liber qui fertur prorsus idem liber est atque Claudi Sacerdotis liber alter i. e. non uni Probo, sed etiam Sacerdoti tribuitur.

M. Claudi Sacerdotis artium grammaticarum libros duos ex codice Vindobonensi 16 olim Bobiensi, quo etiam catholica Probi quae feruntur continentur, a. 1837 initio analectorum suorum ediderunt Endlicherus et Eichenfeldius. Prioris libri, cum duo primi codicis quaterniones desint, pars satis magna intercidit atque alterius etiam libri cum initium tum media quaedam pars — intercidit enim quaternio quintus — desideratur; inscriptiones igitur non exstant, sed subscriptionem prior liber hanc habet: 'M. Claudi Sacerdotis artium grammaticarum feliciter'; alter liber hanc: 'M. Claudi Sacerdotis artium grammaticarum lib. II. explicit feliciter. scriptori vita. legenti felicita'. Priore libro extremo de singulis libris haec legimus: 'hucusque artium grammaticarum fecimus instituta, de catholicis vero nominum et verborum latius exponemus'. Alterum autem librum mire consentire cum Probi catholicis quae feruntur iam editores Vindobonenses (cf. p. I) animadverterunt, neque vero accuratius quaenam inter hos libros intercederet ratio quaesiverunt. De qua re postea variae sunt prolatae sententiae. Osannus enim symb. II, 299 sqq. Probum a Sacerdote expilatum esse statuit, contra Wentzelius symb. crit. p. 28 sqq. Sacerdotem a Probo expilatum esse studuit demonstrare; Keilius, postquam olim miro modo hanc quoque quaestionem prorsus neglexit, nisi quod praef. p. XXVII verbis 'Claudius Sacerdos .... qui catholica integra in suum librum transtulit' brevissime se cum Osanno consentire indicavit, nunc l. c. p. 640 sq. de communi fonte cogitandum esse existimat. Atque sic etiam excusare studet Keilius

'denique quamvis pauca in tali libro ad veterem doctrinam referri possint, tamen ni fallor et in doctrina grammatica quam hic scriptor sequitur et in nonnullis quaestionibus cum iis quae de usu extremae aetatis exposita sunt coniunctis vestigia quaedam antiquioris auctoris quem secutus est adparent' cf. ea quae ex p. XXX supra adscripsi p. 140 sq.

quod in Probi catholicis emendandis parum usus est Sacerdote[14]). Sed Keili de Sacerdote et catholicorum auctore sententiam ferri non posse patet; nam quomodo tandem fieri potest ut duo excerptores aut ad verbum aut fere ad verbum consentiant? Quod enim in utroque libri exemplo inveniuntur quae in altero desint, inde nihil aliud efficitur quam utrumque exemplum esse lacunosum et interpolatum. Iam ne ceterae quidem quas memoravi sententiae mihi probari posse videntur, sed rectissime Spengelium l. c. p. 493 dixisse puto, hoc tantum quaeri utrum Probus catholicorum scriptor sit an Sacerdos, nullo enim pacto fieri potuisse ut alter alterum hoc modo prorsus inaudito expilaret[15]). Omnis autem dubitatio quomodo sit statuendum tum spero fore ut evanescat, si Probi catholicis quae feruntur et Sacerdotis artium grammaticarum libro alteri etiam permultas corruptelas atque vitia communia esse ostendero. Haec enim res

14) Keilius p. 641 tantum ad librariorum, non ad excerptoris vitia tollenda se ait uti voluisse Sacerdote. Sed quomodo ea quae Sac. II, 2 legimus 'b littera nullum nomen repperi terminatum; qui invenerit, et declinationem demonstret', quae in Probi codice non inveniuntur neque in Sacerdotis codice inveniri Keilius commemoravit, ab altero excerptore omitti potuerint equidem prorsus non video, praesertim cum p. 7, 3 in Probi codice gravissima inveniatur confusio. Prorsus autem mirum est quod p. 27, 9 sqq. haec Keilius scripsit 'hoc tamen teneamus quod omnia nomina ns terminata tis faciunt genetivo exceptis duobus quae tis faciunt et dis, frons frondis et frons frontis, lens lendis et lentis. quidam putant haec lentis debere dici et haec lendis, sed errant, quia non inveni hac syllaba nomen aliquod terminatum', quasi dis et tis una essent syllaba et quasi de his syllabis non p. 21, 22 et 29, 13 esset expositum et quasi cum statim sequatur syllaba ques non desideraremus syllabam quas, cum Sacerdos cuius scripturam Keilius rursus non commemoravit p. 54 exhibeat: '— sed errant. quas: hac syllaba nulla nomina repperi terminata'. Quam facile enim quia et quas per compendia scripta permutari potuerint vix opus est me adferre. — Levius est quod p. 37, 33 apud Keilium legimus: 'x y z: has litteras ante se positas verba regere non inveni' ubi Sacerdotis codex hoc quoque loco a Keilio prorsus neclectus recte praebeat: 'n x y z' cet.

15) In hac re ne id quidem neclegendum est Wentzelium de Probo artif. p. 15 haud ita multo post quam a Sacerdote sit editus catholicon libro consulto atque per dolum nomen Probi recentioris praepositum esse statuere, cum Osannus ut evitaret hanc difficultatem non parvum tempus inter Probum recentiorem atque Sacerdotem putaverit interfuisse.

neque explicari potest, si copiosiorem librum duos excerptores epitomasse statuimus — quomodo enim si iam in fonte haec vitia fuerunt utrumque potuerunt fugere? — neque si alterum ab altero expilatum esse putamus, nisi aut Probum aut Sacerdotem stultissimum fuisse statuimus. Illud igitur si probavero, non iam nobis res erit cum duobus scriptoribus, sed cum duobus unius scriptoris codicibus.

Atque corruptelas quasdam Probo qui fertur et Sacerdoti esse communes vidit iam Keilius l. c. p. 640, sed neque quidquam ex ea re effecit neque omnino accuratius in eam inquisivit; unum enim attulit locum, qui sane valde est memorabilis. Nam Prob. 10, 5 sqq. et Sac. II, 17 haec legimus: 'go finita ('omnia' add. Sac.) o in i mutent ('o inmutant' Prob.) genetivo ('in genetivo casu' Sac.) necesse est et sint generis feminini ('et generis sint fem.' Sac.), virgo virginis, Carthago Carthaginis, uligo uliginis. excipitur unum quod in genetivo ante nis syllabam ('syllaba' Sac.) o producta terminatur et generis est masculini, ligo ligonis ('ut ligo ligonis' Sac. cf. Prob. 6, 15. 10, 3. 13, 36. 14, 21. 21, 31) instrumentum rusticum (haec duo verba desunt apud Sac., Keili adnotatio 'rusticum mango latinum B et Sac.' parum est accurata) mango Latinum non est ('sicut arbitror' add. Sac.) nam ambages et compages nominativo utriusque numeri declinantur sicut strages' cet. Cum verba 'mango Latinum non est' prorsus sint mira, Putschius scripsit 'ambago Latinum non est', cuius rationem editores Vindobonenses et Keilius ita sunt secuti, ut post 'mango' quod glossema esse putaverunt intercidisse statuerent 'ambago'; sed exspectamus potius 'ambago barbarismus est' quam 'ambago Latinum non est' ut 15, 8 legimus 'quidam dicunt hilar debere dici, sed barbarismus est' (cf. 26, 19 § 30), nam quod Latinum non est, huic scriptori est peregrinum, id est Graecum vel barbarum [16]). Itaque ut antea 'nam Dido Graecum est' legimus (10, 3 § 15), ita hoc loco Graeci nominis scriptor fecit mentionem, Graeca enim omnia produci antea dixerat (9, 33 § 13). Itaque scripsit '— rusticum. Argo Latinum non est' cet.

16) Cf. 14, 34 'nam Chalybes Latinum non est'. De voce peregrinus cf. 6, 30 § 1. 10, 20. 15. 1. 28, 22 § 47. De voce barbarus cf. 8, 28 et 30 § 9. 9, 12 § 11. 9, 37 § 14. 11. 10 al.

Vitium inde natum est quod m littera prave est duplicata; nimirum in codice Sacerdotis verba 'instrumentum rusticum' ut supervacanea sunt omissa: talia saepius invenimus. Apparet autem huius scripturae vitiosae communis unam fuisse oportere originem [17]).

Iam age addamus primum nonnullas lacunas, deinde aliquot interpolationes, denique nonnullas alius generis corruptelas. Prob. p. 25, 20 Sac. § 20 de nominibus Graecis nes syllaba terminatis legimus: 'Graeca vero tunc primae erunt declinationis apud Latinos ('apud nos' Sac.[18])), si apud Graecos ου fecerint genetivo ut (om. Sac.) Hostanes *Ὀστάνου* huius Hostanae, *Δημοσθένης Δημοσθένους* huius Demosthenis (' *Ὀστάνης Ὀστάνου* hic Hostanes huius Hostanae, hic Demosthenes huius Demosthenis' Sac.)': hoc loco non potest dubitari, quin post verbum 'genetivo' interciderint verba 'tunc tertiae apud nos, si apud illos ους fecerint genetivo' [19]). — Prob. 30, 9 Sac. § 57 legimus: 'hic quaestus adquisitio (om. Sac.) huius quaestus, si participium sit huius quaesti, si non faciens ('fecerit' Sac.) aliud genus huius quaestus: Vergilius *quaestuque cruentus*'. Haec aperte corrupta sunt, unusquisque enim videt scriptorem libri etiam 'quaestus' et 'questus' seiunxisse, interciderunt igitur ante verba 'si participium sit' verba 'hic questus' atque 'quaesti' 'quaestus' 'quaestuque' male pro 'questi' 'questus' 'questuque' scripta sunt. Atque sic locum restituit Keilius. Habemus igitur iterum lacunam communem. Adnotandum autem est iterum in Sacerdotis codice nos invenire verbum deletum (adquisitio) quod quin verum sit dubitari nequeat [20]); is qui delevit prorsus non vidit scriptorem

17) Particula nam saepius ita invenitur apud hunc scriptorem ut novum aliquid inferatur cf. 10, 3 § 15. 13, 1. 14, 34.

18) Hoc rectius videtur cf. 9, 16 § 11, ubi 'Latine' quod apud Probum legitur glossema videtur, et 27, 31 § 43. 29, 10 § 51.

19) Similiter iudicaverunt editores Vindobonenses, Keilius difficultatem ne sensisse quidem videtur.

20) Eodem modo § 56 (cf. p. 30, 3) omissum est 'erogatio', at non paullo post (p. 30, 5) 'acceptus' ('significans' quod apud Probum legitur fortasse glossema est) aut 'tunica Veneris' aut 'pugilum' p. 30, 12 § 57, cf. p. 29, 20 'hic artus huius arti angustus quod redditur', quod quia non intellegebatur, Sac. § 54 legimus 'hic artus huius arti, angustus angusti';

'quaestus' et 'questus' voluisse discernere. — Prob. 33, 23 Sac. § 98 legimus. 'per singulas litteras primae personae verbi ('verbi personae' Sac.) doceamus secundam personam ('personam secundam' Sac.) eiusdem temporis ('eiusdem modi temporis' Sac.) praeteriti perfecti et modi imperativi temporis praesentis secundam personam'. Hunc locum lacunosum esse vidit Keilius neque ulla de ea re potest esse dubitatio. Recte etiam Keilius grammaticum voluisse videri statuit: 'doceamus secundam personam [modi indicativi temporis praesentis et primam personam] eiusdem modi temporis praeteriti perfecti' cet.

Iam ut interpolationes nonnullas communes adferam, Prob. 30, 11 Sac. § 57 legimus: 'excipitur unum quod et sti facit et stus ('et stus' om. Prob.) genetivo hic caestus ('cestus' Prob.) tunica Veneris huius caesti, hic caestus pugilum huius caestus; Vergilius *quid siquis caestus ipsius* (*Herculis* pro *et Herculis* add. Sac.). et orthographia distant et declinatione. ergo omnia sti [21]) faciunt genetivo exceptis quattuor cestus aestus quaestus quaerella (ita Probus; 'quaestus aestus caestus querella' Sac.)'. Miror etiam Keilium scripsisse 'hic cestus ... huius cesti'; nam si cestus est tunica Veneris, caestus pugilum, ut antea habuimus quaestus et questus, ita hoc loco duo habemus nomina, non unum quod et sti et stus faciat. Patet igitur scriptorem non discrevisse haec nomina, sed utramque rem aut cestum aut quod magis est verisimile caestum appellasse; quod si est, verba 'et orthographia distant et declinatione' apparet esse glossema. Sed etiam verba 'ergo ... querella' interpolatoris sunt, prorsus enim sunt inepta atque pugnant cum verbis 'non facientia (aliud genus) quartae erunt declinationis' cet. p. 30, 7 cf. Sac.; sunt autem haec verba vetus glossema, nam is qui ea interposuit invenit etiam quaestus et questus scriptura discreta, nam quattuor illa nomina necesse est esse aestus quaestus questus caestus, nam alia quartae declinationis nomina non sunt commo-

---

paullo post 29, 21 pro 'artus membra' Sac. habet 'artus id est membra' quod aperte est interpolatum.

21) Keilius edidit tis, Putschius is. Miram Keili scripturam utrum typothetae tribuam an Keilio ipsi dubito. Typothetae tribuendum est p. 25, 3 'neutro' pro 'neutra'.

morata [22]). — Prob. 28, 27 Sac. § 48 legimus: 'insons insontis: sic Horatius. sons ('vero' add. Sac.) non legi. Sallustius numero plurali utrumque *insontis sic uti sontis*'. Apparet haec inter se pugnare atque verba 'Sallustius . . . sontis' glossema esse commune [23]). — Prob. 39, 28 Sac. § 179 haec inveniuntur verba: 'or syllaba terminata sive pura sive vocali vel consonante ('consonanti' Sac.) praecedente' cet., ubi patet scribendum esse aut 'sive pura sive consonante praecedente' aut 'sive vocali sive consonante praecedente'. — Prob. 38, 24 Sac. § 167 legimus: 'aut gi (sc. facit go tertiae correptae) ut tango tetigi et in principio syllabam adiecit (Sac. 'adicit') ut (Sac. 'sicut') pungo pupugi pango pepigi (Sac. 'pungo pango pupugi pepigi')'. Hoc loco verba 'ut tango tetigi' additamentum esse nemo non videt. — Prob. 36, 17 legimus: 'nam infinitum modum perfectum Terentius posuit: *parere hic divitias*' Sac. § 138: 'nam infinitum perpetuum modum Terentius posuit' cet. Hoc loco aut 'infinitum' aut 'perpetuum' — nam 'perfectum' quod in Probi codice legitur patet corruptum esse ex 'perpetuum' — glossema esse apparet [24]).

Transeamus ad alia vitia: Prob. 27, 29 haec legimus: 'ros omnia producuntur et sunt tertiae declinationis, ris faciunt genetivo. monosyllabum ris facit ros roris. Graeca secundum rationem suam, si apud illos ος, apud nos is' cet. Sac. § 43 exhibet: 'ros finita omnia producuntur et sunt tertiae declinationis, ris faciunt genetivo ros roris. Graeca secundum rationem suam declinabuntur, si apud illos ος, apud nos is' cet. Itaque omnia faciunt ris, pars Graecorum facit is! Apparet scribendum esse 'is faciunt genetivo' cf. 27, 33 § 44. 28, 30 et 32 § 49. 29,

---

22) Codex Probi secundum adnotationem Keili praebet 'cestus aestus quaestus quaerella', sed ipse Keilius 'caestus aestus quaestus questus querella' ita edidit ut 'questus' volgari modo scriptum sit. Itaque in Probi codice videtur 'questus' omissum esse, in Sacerdotis codice certo deest ac praeterea ordo verborum ibi magis mutatus est.

23) Neque enim vereor, ne quis verba 'sons non legi' tantum ad singularem pertinere putet, nam 'utrumque' nihil aliud esse potest nisi 'et insons et sons'. Praeterea iam eo quod verbum deest glossema indicatur.

24) Cf. Sac. I § 33 'quintus modus est infinitus quem perpetuum dicunt'.

19 § 54 al. Patet autem cur in Sacerdotis codice desiderentur verba 'monosyllabum ris facit', nimirum homo stultissimus qui ea delevit post verba 'ris faciunt genetivo' haec verba prorsus supervacanea atque molesta esse existimavit. — Prob. 36, 31 Sac. § 142 legimus: 'A ante uo posita primae coniugationis verba regit et tertiae correptae'. Cum hoc loco ad ea verba transeatur quae u ante o habent, necessario scribendum est 'U ante o posita' cet. cf. 35, 26 § 123. 37, 36 § 162 atque 37, 5 § 145: 'nam sicut ante docui u ante o posita aut primae coniugationis verba regit aut tertiae correptae'[25]. — Prob. 42, 20 Sac. § 190 legimus: 'paeon primus et hippius quartus *decipere contendebant*', ubi scribendum est 'contendebat'.

Sed haec sufficere puto ad id quod volo probandum. Patet igitur nobis non rem esse cum duobus scriptoribus, sed cum duobus unius scriptoris exemplis. Ceterum ita ut statuamus, non modo vitia communia, verum etiam res ipsae faciunt. Quod uno tantum loco inlustrabo, sed eo valde memorabili: Prob. 35, 34 Sac. 127 legimus: 'd ante io non inveni'. Num duos vel tres grammaticos veteres fugisse putabimus verba audio atque fodio?

Itaque iam quaeritur quaenam ratio intercedat inter codicem Probi et codicem Sacerdotis. Atque cum uterque codex quaedam solus habeat quae non sit dubium quin vera sint, patet alterum codicem non potuisse fluere ex altero, ut vitia communia de quibus dixi ita explicanda sint, ut ex eadem origine utrumque codicem statuamus esse profectum. Et in Probi codice nulla fit litterae b mentio cum Sac. cod. § 2 exhibeat b littera nullum nomen repperi terminatum; qui invenerit, et declinationem demonstret'[26]; praeterea Prob. 42, 24 legimus: 'has quidem a nobis repertas componamus quae possint auditores nostri temporis delectare' cum Sacerdos § 191 recte ante verbum 'componamus' etiam habeat 'composuimus, nunc aliquas

25) Sac. §§ 101 et 102, quae in Probi codice desunt, patet esse ab interpolatore additas, quod ut alia omittam iam inde efficitur quod § 102 agitur de verbis u litteram separatam ante o habentibus, cum postea lavo cevo derivo novo commemorentur.

26) Contra verba quae secuntur 'nec pronomen nec participium' cum de nominibus tantum agatur apparet esse interpolatoris additamentum.

Tulli' [27]); eodem modo 7, 16 in codice Probi post verba 'aut Graeca ratione' desunt verba 'declinabuntur nulla ratione' quae habet Sac. § 5, atque etiam 33, 22 post verba 'in secunda persona' in Probi codice desiderantur verba 'eodem modo tempore praesenti et in secunda persona' quae paullum mutata leguntur Sac. § 98. Contra Sac. § 35 desunt verba 'pans tertiae declinationis tis faciunt genetivo' quae leguntur Prob. 27, 8; item mutila sunt Sacerdotis verba § 66: 'hic civis huius civis et plurali hae vis' cum in Probi codice 31, 1 recte legamus 'huius civis haec vis huius vis et plurali hae vis'. Sed tales loci — neque sunt ita multi — vix digni sunt qui commemorentur, cum omnia quae apud Probum 3, 1 — 6, 24 leguntur in Sacerdotis codice frustra quaerantur, quae res uni fati invidiae tribui potest, cum et inscriptio alterius libri desit et postea bis ea antea exposita esse dicantur quae nunc apud Sacerdotem desint [28]). Sunt enim etiam loci in quibus consulto quaedam omissa esse videantur quae apud Probum legimus, velut quae Prob. 26, 21—26 ut demonstretur aucupes, non auceps dicendum esse disputantur, cum displicuerint, apud Sacerdotem non inveniuntur [29]).

Praeterea in utroque codice inveniuntur varia additamenta velut Prob. 7, 20—27 quae recte Keilius uncis appositis damnavit; 34, 21 '*relevi dolia omnia* Terentius' (agitur de verbis leo terminatis); 38, 26 'alii praesentis alii praeteriti aestimant (pepigi)' quae post verba 'pango pepigi. quidam pepigi defectivum tempore putant esse ut odi novi memini' dici non potuerunt;

---

27) Vox 'structuras' quam Sac. etiam post 'repertas' habet in eo certe exemplari unde Probi codex descriptus est non exstabat.

28) Recte editores Vindobonenses p. II manifestum lacunae indicium dixerunt inesse in verbis § 1 'secundum rationem primae declinationis quam paullo ante monstravi' cf. Prob. 4, 6. Addenda sunt verba § 1 'quae declinabuntur ratione tertiae declinationis quae sicuti docui genetivo is syllaba terminantur' cf. Prob. 3, 19. Ceterum cum in eo quem nos habemus codice nullum appareat lacunae vestigium, iam eum codicem unde ille descriptus est hac parte destitutum fuisse necesse est.

29) 26, 21—26 re vera ab ipso libri scriptore profecta esse iam ex verbis 'nam qui auceps declinat errat' apparet, cuius locutionis similia saepissime in hoc libro inveniuntur cf. p. 12, 23. 18, 23. 33 20, 19. 23, 6. 27, 11 § 35. 36, 16 § 138 al.

36, 2 post verba 'i k: his litteris ante io verba terminata non inveni' verba 'n n o i inveni tertiae correptae xi faciens perfecto, mcio meis mexi: Persius modo infinito *matronae immeiere vulvae*' apparet esse glossema[30]; 36, 7 'silio silis silivi vel silii' ineptum est additamentum; 8, 29 permirum est Keilium edidisse 'ut Hannibal Hasdrubal Hamilcar Hiempsal Adherbal'; cum agatur de nominibus l terminatis[31]. Contra Sac. §§ 101 et 102 ut iam supra (p. 155) significavi postea interpositae sunt, item § 9 verba 'sunt item generis masculini l littera nomina terminata Samuel Daniel Isdrahel, huius Samuelis Danielis Isdrahelis' apparet a christiano esse addita cf. Wentzel. symb. crit. p. 35; § 142 ubi de verbis avo terminatis agitur adfertur 'volo volavi'; § 105 verba 'inveni unum primae coniugationis, beavi faciens tempore perfecto: Terentius *ecquid beo te.* beo beas beavi' pugnant cum eis quae antecedunt: 'b ante eo posita aut secundae sunt coniugationis aut tertiae productae'; § 81 ubi singula singulorum nominativi modorum exempla adferuntur legimus: 'Varro Dido ordo' cum Prob. 32, 9 recte tantum 'Varro Dido' habeat; denique ea quae §§ 1. 2. 3. 4. 5. 6. 10 de pronominibus et participiis legimus, cum haec pars sit de nominum catholicis, patet esse ab interpolatore aliquo addita[32].

Itaque uterque codex pravis abundat additamentis. Si autem verba singula spectamus, in universum multo integriora praebet codex Probi. Nam is qui Sacerdotis codicem scripsit aut is qui eum codicem scripsit unde hic est descriptus, quod magis est verisimile, utique homo imperitissimus atque satis recentis aetatis — saeculo septimo vel ineunte octavo secundum editores Vindobonenses p. I codex scriptus est — verba codicis

30) Meiere commemorandum fuit 35, 35 § 127 (sed ibi legimus 'e: hanc quoque litteram (sc. ante io) non inveni') ut aio commemoratur 35, 29 § 124. — Ceterum Pers. VI, 73 legimus 'patriciae immeiat vulvae'.

31) Quamquam Sacerdos § 9 tantum habet 'Hannibal Asdrubal', etiam 'Hiempsal Adherbal' postea addita esse non pro certo adfirmaverim.

32) Tantum 27, 16 § 38 praeterea brevissima invenitur mentio pronominum: 'quis pronomina reguntur, non nomina'. Nam quod in expositione de formis casuum 32, 27 sqq. pronominum habetur ratio, id vix poterat non fieri.

quem descripsit prorsus ad arbitrium auxit minuit mutavit transposuit. Cuius rei cum iam multa deprehenderimus exempla, pauca tantum addam. De formis casuum in Probi codice 32, 27 — 33, 7 iustam habemus disputationem, Sac. cod. § 92 tantum haec exhibet: 'formae casuum sunt sex: unaria binaria ternaria quaternaria quinaria senaria. senaria forma regit pronomina tantummodo singularis numeri, nullus nullius nulli nullum o nulle a nullo', nimirum librarius, postquam mutandi studio omnia nomina statim in initio posuit, cum sextae formae nomen scripsisset, errore se iam ad hanc formam pervenisse ratus tantum ea quae ad hanc formam pertinebant adscripsit. Interdum interpolator corruptos locos sanare conatus est, velut § 13 'omnis nominativus o littera finitus ... corripitur exceptis Graecis nominibus quae producuntur ut Dido Manto ideoque indifferenter declinantur et Graece et Latine ut *fatidicae Mantus*', ubi dubitari non potest quin id in exemplari suo invenerit quod habet codex Probi p. 9, 34 'ideoque indifferenter declinantur Latina ratione, huius Didus Mantus ut Vergilius *fatidicae Mantus et Tusci*', quae verba sic sunt emendanda 'indifferenter declinantur Latina ratione huius [Didonis Mantonis aut Graeca ratione huius] Didus Mantus' cet.[33]) cf. 5, 18. 25, 13 § 19. 25, 18 § 20. 28, 8 § 44. 28, 16 § 46. Similiter ea quae in Probi codice 27, 14 minime integra leguntur: 'ques correpta tis faciunt genetivo eques equitis, nam quae producta (cod. 'que producto') es terminantur de his ante tractavi et sunt tertiae declinationis is faciunt genetivo' in Sacerdotis codice multo etiam magis invenimus a pristina condicione detorta § 37: 'ques finita nomina correpta sunt et tertiae declinationis, tis faciunt genetivo eques equitis; nam quies et inquies es terminantur non ques (cod. 'quies'). nam cum de his ante tractarim tamen omnia tertiae sunt declinationis'[34]). — Etiam res nonnunquam interpolator corrigere studuit: sic prae-

33) Prorsus simile vitium in Probi codice invenitur 7, 16.

34) Hic locus fortasse sic est restituendus: 'ques producta non inveni nomen aliquod terminatum, ques correpta sunt tertiae declinationis, tis faciunt genetivo eques equitis'. Verba 'ques producta . . terminatum' post ea quae antecedunt facillime potuerunt intercidere, verba 'nam ... tractavi' videntur ab eodem addita esse qui 18, 16 male inseruit 'miles militis'.

termisit miram de nominativo aucupes disputationem (cf. p. 156), atque quae Prob. 35, 38 legimus: 'g ante io habens verbum non inveni', Sac. § 129 ita invenimus mutata: 'g ante io habens verbum tale inveni; facit enim fugio fugis, quod est tertiae correptae, cum in imperativi modi secunda persona fuge facit ut Vergilius *heu fuge crudelis terras*', in quibus ex voce 'tale' apparet alius inventum aut ab eo ipso qui id invenit aut ab alio scriptoris verbis malo esse insertum [35]).

Itaque Probi codex et codex Sacerdotis ita videntur ex communi origine fluxisse, ut certe singuli codices inter hos codices et codicem archetypum intercesserint. Eam enim deprehendimus codicum discrepantiam, ut alterum codicem ex altero descriptum esse statuere vetemur, atque Sacerdotis certe codicem non ex ipso codice archetypo descriptum esse certo est documento quod initium deest. Nam ne quis, cum Probi codex describeretur, codicem archetypum statuat etiam integrum fuisse, cum Sacerdotis codex, iam mutilum: is qui Sacerdotem interpolavit vix dubitari potest quin certe inscriptionem additurus fuerit.

Iam cum habeamus unius scriptoris exempla duo, alterum magis interpolatum alterum minus, non duos scriptores, primum quaeritur, uter fuerit libri scriptor, Probus an Sacerdos, deinde quomodo illud sit explicandum quod hic unus liber duobus tribuitur grammaticis. Atque Sacerdotis nomen verum esse iam statuerunt Spengelius (l. c. p. 493 sqq.) et Lerschius (l. c. p. 629 sqq.), sed non accuratius in eam rem inquisiverunt; Wentzelium id quod in controversiam cadit parum recte definivisse iam supra significavi. Sed cum reliquae Wentzeli disputationi, qua Marium Plotium Sacerdotem cuius de metris liber legitur apud Putschium et Gaisfordium eundem esse atque M. Claudium Sacerdotem cuius artium grammaticarum libros duos ediderunt Eichenfeldius et Endlicherus atque hunc Sacerdotem tres illos libros grammaticos scripsisse studuit demonstrare, prorsus adsentiar, disputatio mea eo fere redibit, ut paucis com-

35) Prorsus mire de his locis iudicat Wentzelius symb. crit. p. 31 adn.

prehendam quae Wentzelius exposuit [36]). Itaque breviter recenseamus, quae pro Probo, quae pro Sacerdote videantur facere. Atque pro utroque grammatico facit codex vetustus. Praeterea pro Probo faciunt testimonia posteriorum grammaticorum satis multa, pro Sacerdote quod satis certum sit nullum [37]); contra pro Sacerdote cum primus liber tum Mari Ploti Sacerdotis qui vocatur de metris liber, a quibus nullo pacto catholicon liber potest divelli, qua re tota lis dirimitur. Ac primum quidem dicendum est de ratione quae intercedit inter catholicon librum et Sacerdotis librum primum. Itaque in initio catholicon legimus: 'quoniam instituta artium sufficienter tractavimus, nunc de catholicis nominum verborumque rationibus doceamus', extremo primo Sacerdotis libro invenimus haec verba: 'hucusque artium grammaticarum fecimus instituta, de catholicis vero nominum atque verborum latius expouemus'. Deinde sexies in catholicis ita commemoratur primus quidam liber, ut ibi de rebus quibusdam disputatum esse dicatur: p. 10, 25. 39, 3 § 169. 11, 1. 14, 11. 40, 11 § 182. 40, 16 § 184 atque ex his locis duobus primus ille liber appellatur instituta artium 39, 3 § 169 et 40, 11 § 182. Nam quod Freundius (Iahni annall. phill. nov. V 1832 p. 90) Osannus (symb. II, 205) Lerschius (diar. ant. stud. 1843 p. 626 et 631) etiam p. 1450 P. I, 24 L. 11, 13 K. primum librum significari putaverunt, non leviter erraruut; haec enim ibi legimus idque etiam apud Keilium: 'P: hac littera nullum nomen finitum potuit reperiri, quia nec hac littera nomen aliquod terminatur ratione supra monstrata. R littera nomina terminata multa sunt' cet., sed quoniam inter litteras P et R in litteratura littera Q intercedit, 'quia' corrigendum est in 'Q:', quod si fecerimus nullam habebimus tautologiam, optime habebit particula nec (cf. 11, 9 'vo: non inveni hac syllaba

36) Etiam Christio phil. XVIII, 178 sq. Wentzelius hanc rem probavit.

37) Pomp. p. 190, 22 'si autem e producto terminatur ablativus, genetivus pluralis in rum mittit, dativus et ablativus in bus ut ab hac die dierum diebus. noli sequi illud quod dixit Sacerdos: dicit plerumque genetivum pluralem tam in rum quam in um mittere, hoc falsum est penitus' (ita emendavit Keilius) non necesse est ad cath. 5, 18 referamus, sed potest etiam de Sac. I § 2 cogitari.

nomen aliquod terminatum. xo: nec hac syllaba inveni finitum nomen nisi barbarum'), denique optime explicabuntur verba 'ratione supra monstrata' (cf. 10, 33)[38]). Iam in arte Vaticana quae Probi nomine inscribitur frustra ea quaeri ad quae sex illi catholicorum loci spectant iam supra (p. 143) significavi. Sacerdotis liber primus cum sit perquam mutilus atque nunc incipiat a disputatione de ablativo casu nominum pronominum participiorum, nemo ibi quaeret quae de littera k in primo libro disputata fuisse legimus cath. 10, 25 et 39, 3 § 169 aut quae de q littera in primo libro fuerunt exposita cf. cath. 11, 1 aut singularium tantum commemorationem cf. cath. 14, 11 — omnis enim de numeris nominum disputatio intercidit — aut pedum disyllaborum et trisyllaborum nec non et quattuor syllabarum enumerationem cf. cath. 40, 16 § 184, nam pedes ante partium orationis expositionem artigraphi tractare solent velut Don. p. 369, 16 sqq. K. Unum autem quod, si omnino commemorabatur in primo libro, in ea parte quae exstat inveniri oportet, ibi etiam invenitur. Prob. 40, 8 enim legimus: 'imperativus modus passivitatis re syllaba addita imperativo activitatis fiet, ut ama amare, doce docere, scribe scribere, muni munire', Sac. § 182: 'imperativus modus passivitatis re syllaba addita imperativo activitatis fiet similis ut amare scribere munire', deinde apud utrumque: 'de hac tamen ratione et de modo infinito plenius in institutis artium hoc est in libro primo (Sac. 'id est libro primo') docuimus'. Wentzelius symb. crit. p. 29 hoc loco Sacerdotis codicem integriorem praebere iudicavit scripturam i. e. vestigium certe verae scripturae in eo apparere; ita enim scribendum esse putat: 're syllaba addita imperativo activitatis [infinito activorum] fiet similis' cet. Sed qui Sac. I, 41, quo, ut iam Spengelius vidit l. c. p. 493, non est dubium quin haec spectent, contulerit verba: 'omnis coniugationis verborum passivorum modus imperativus similis est infinito activorum, ut amare docere scribere munire' atque Sacerdotis codicem non 'ut ama amare, doce docere, scribe scribere, muni munire' exhi-

38) **Prorsus simile vitium Prob. 27, 12 etiam apud Keilium legi, cum Sacerdos veram exhibeat scripturam, supra (adn. 14) vidimus.**

bere, sed 'ut amare scribere munire' cousideraverit, ei facile apparebit Sacerdotis scripturam esse interpolatam: nimirum interpolator primi libri locum evolvit atque ut saepius parum feliciter ei cessit interpolatio. Sed praeter I, 41 etiam conferenda sunt quae I, 35 et 37 de infinitivo activi coniugationum primae et tertiae ex imperativo formato legimus, a quibus nihil fere discrepant quae I, 36 et 38 de couiugationibus secunda et quarta dicuntur; deinde de infinito passivorum [39]) disputatur Sac. I, 41. — Praeterea cum uuiversum genus dicendi utriusque libri mire consentit, tum locutiones quaedam propriae iu utroque saepius recurrunt, velut 'hoc scire debemus' Sac. I, § 23. 24. 42. 66. 84. 184. cath. p. 6, 13. (Sac. II § 11). 9, 31 § 13. 10, 19 § 18. 11, 15. 12, 25. 14, 32. 23, 23. 23, 30. 25, 37 § 23. 34, 25 § 113. 35, 19 § 120. Fusius hanc rem inlustravit Wentzelius p. 40—43. Ad sermouis consensionem accedit consensio rerum peculiarium, quod genus a Wentzelio neclectum video. Sic et Sac. I § 2 et cath. 5, 18 legimus indifferenter quintae declinationis nomina rum et um in genetivo pluralis accipere, quod nisi fallor nusquam alibi tam universe dicitur [40]). Deinde eodem modo quo cath. 38, 15 § 165 legimus: 'nam cedo quod significat da sine verbi totius substantia solum reperitur numero singulari, cedo, numero plurali, cette; sic Plautus et antiqui comoediographi sicut et (Sac. 'est') salve (om. Prob.) salvete salvere. nam quod Plautus in Truculento posuit (om. Prob.) *non salveo* inridenter posuit pro persona rustici', Sac. I, 34 legimus: 'sunt verba quae et modis et omnibus temporibus et personis deficiant et haec tautummodo habeant: salve salvete salvere, quamvis Plautus in Truculento posuerit *non salveo*, sed inridenter, nam de persona rustici dixit'. Atque ut in catholicis verbum aio (35, 29 § 124) ibi commemoratur ubi de verbis quae i vocalem ante o habeant agitur, et verba lavo (36, 35 § 142) cevo (37, 7 § 146) derivo (37, 18 § 150) novo

39) Wentzelius p. 29 verba 'et de modo iufinito', cum inde a 39, 27 § 178 disputetur de verbis or syllaba terminatis, miro modo ad activorum infinitum rettulit.

40) Cf. de nom. et pron. § 40 Vind. p. 563, 6 K., Charis. 31, 16. Diom 305, 2, (Charis.) exc. 547, 23. Pomp. 190, 24.

renovo (37, 23 § 155) ibi adferuntur ubi de verbis quae u vocalem ante o habeant agitur, contra ubi de syllabis consonantium dicitur neque io neque vo commemoratur, ita Sac. I, 84 legimus: 'non tamen omnes syllabae quae sic cadunt, id est aut in vocalem aut in m aut in s, necesse est ut synaloephen patiantur, sed quae synaloephen patiuntur sic cadant necesse est. ceterum sunt quae sic eveniunt, non tamen eliduntur, ut de vocali ut *texunt umbracula vites* ... de m ut *hic ver purpureum varios* et de s *ecce manus iuvenem interea*' [41]). Denique adfero, quod iam Lerschius (cf. l. c. p. 631) animadvertit, in catholicis ubi de passivorum formis agitur fere ubique eadem inveniri exempla quae in libro primo Sacerdotis reperimus declinata, amare docere scribere munire; tantum in tertia coniugatione variatur cf. 39, 32 sqq. § 179. 39, 37 § 180. 40, 3 sqq. § 181. 40, 9 § 182 [42]). Sed longior sum in re, ut recte Wentzelius p. 43 dicit, manifestissima. Itaque inter primum Sacerdotis librum et catholicon librum tanta intercedit necessitudo, ut qui alterum scripsit eum etiam alterum scripsisse necesse sit. Probi autem nomen prorsus non pertinet ad primum librum; praeterea inde quod sacerdotis nomen cum saepissime in catholicon libro (4, 26. 27. 29. 30. 33. 35. 37. 21, 25. 32, 19. 33, 3 sq., quae exempla tantum in Probi codice leguntur, deinde 32, 9 § 81. 32, 12 § 83. 32, 13 § 84. 32 16 § 86, denique Sac. § 82,

41) Ceterum in ea parte quae est de catholicis nominum, ubi de r littera agitur, recte i vocalis et I consonans, u vocalis et u consonans secernuntur. Ubi de s littera dicitur, vas ves vis vos vus bis commemorantur: primum ante consonantium syllabas post aus et eus infertur vos vel vus p. 19, 13 sqq. atque huic vas ves vis subiciuntur, deinde inter consonantium syllabas iterum adferuntur vas ves vis vos vus. Delendum est quod apud Sacerdotem tantum aiter locus servatus est.

42) Quae Sac. I, 22 legimus 'fit defectiva species et tempore, ut odi novi memini pepigi. haec verba nullam habent declinationem praeter has: odi ... pepigi, oderam ... pepigeram, odisse ... pepigisse' possunt videri pugnare cum cath. 38, 25 § 167 'quidam pepigi defectivum tempore putant esse ut odi novi memini'. Sed cum post legamus 'et participia haec duo futuri temporis, hic osurus hic odendus, et praeteriti hic osus; nam novi et memini nullum habent participium', ubi pepigi omittitur, atque etiam § 37 et § 52 tantum odi novi memini commemorentur, patet interpolatorem aliqnem 'pepigi' 'pepigi' cel. addidisse.

quos locos maximam partem iam collegit Wentzelius p. 40 adn. 3) tum semel certe in primo libro Sacerdotis, quem quatenus ad nomina pertineat perquam esse mutilum non est neclegendum, (§ 82 'oratore declamante Sacerdote docente' — nam hic non potest dubitari quin de nomine proprio sit cogitandum —) ubi exempla sunt adferenda invenitur, utrius hi libri duo sint satis apparet. Atque omnis tolletur dubitatio, si Mari Ploti Sacerdotis qui fertur de metris libri rationem habuerimus. Cuius libri praefatio haec est: 'Marius Plotius Sacerdos composui Romae docens de metris. Cum de institutis artis grammaticae primo libro me tractavisse comperisset vir clarissimus Urenius nec ei displicuisset, vel quod non absurde compositus vel quod ad eius filium v. c. mihi contubernalem et aetate paene studiisque coniunctum Gaianum scriptus esset, compulit ut etiam de nominum verborumque ratione nec non etiam de structurarum compositionibus exprimendis breviter laborarem. Cuius praestantissimi viri iussionibus libens arbitror libro secundo nos explicabiliter obedisse, nunc in hoc sive tertio sive novissimo artium libro ab eodem summo viro commendatus vobis viris amplissimis . . Maximo et . . Simplicio . . , quoniam iubere dignati estis, me posse de metris etiam tractare indicastis, [de his] breviter esse componendum decrevi'. Habemus igitur Sacerdotem aliquem qui tres artium i. e. artium grammaticarum libros scripsit, quorum primo exposuit de institutis artis grammaticae, altero de nominum verborumque ratione nec non etiam de structurarum compositionibus, tertio de metris. Habemus autem etiam artium grammaticarum libros duos Sacerdoti adscriptos, quorum priore de institutis artium grammaticarum, altero de catholicis nominum verborumque rationibus et de structuris (cath. 40, 17 § 184.[43]) 43, 7 § 192) cum tractatur tum tractari scriptor ipse dicit. In

43) Valde miror Keilium hoc loco cum prioribus editoribus scripsisse 'de terminationibus placentibus', cum Sacerdotis codex praebeat 'structuris', in Probi codice litteris attritis nihil iam legi possit. Structura statim definitur 40, 21 § 184 et postea saepissime invenitur, terminatio nusquam. — Compositio structurae legitur 41, 31 § 189, compositiones eodem sensu ac structurae 41, 3 § 186, componere structuras 40, 24 § 185.

quo ne illud quidem mihi videtur neclegendum in altero libro nusquam de priore libro dici, sed semper de primo. Itaque quid rei sit apparet: ut iam editores Vindobonenses sunt suspicati, artium grammaticarum libri duo cum libro de metris tres illos efficiunt libros de quibus in praefatione libri qui est de metris dicitur. Optime autem huic rationi convenit quod c. 1 § 10 G. p. 2626 P. legimus: 'trisyllabi pedes sunt octo ... sed unde traxerint nomen docebo sine exemplis, quoniam in primo libro id explicabiliter demonstravi', nam in primo libro de pedibus esse disputatum, ut iam supra commomoravi, ex cath. 40, 15 § 184 constat. Praeterea quinquies in versibus a scriptore ipso factis Sacerdotis nomen invenimus: c. 3 § 67 p. 2640 P. c. 4, 11 p. 2642 P. c. 7, 13 p. 2655 P. c. 8, 8 p. 2657 P. c. 8, 9 p. 2658 P. cf. Wentzelius symb. crit. p. 40 adn. 4. Denique locutiones artium grammaticarum librorum propriae inveniuntur etiam in libello de metris qua de re cf. Wentzelius l. c. p. 40—43, velut illud 'hoc scire debemus' c. 1, 29. c. 3, 40. 67 cf. 'hoc debet sciri' c. 3, 38. Iam quaestio oritur, utrum M. Claudius Sacerdos — nam illud M. quod in utraque codicis subscriptione legitur vix aliud aliquid significare potest quam praenomen Marci — an Marius Plotius Sacerdos verum nomen fuerit. Atque Spengelius l. c. p. 495 et Wentzelius p. 49 pervetusto codici Bobiensi fidem habendam esse iudicaverunt. Sed cum rarius nomen facilius potuerit corrumpi atque cum in codico Bernensi 165 ad Vergili georg. III, 377 ab altera manu haec verba inveniamus adscripta (cf. Hagenus schol. Bern. p. 994 adn. 21): 'totasque. Marius Plocius per se vult hoc vitium esse metri, sed melius est ut hypermeter accipiatur', quae pertinent ad c. 2 § 13 sq. p. 2628 P., ego quomodo statuam ambigo.

Iam cum catholicon liber Sacerdoti [44]) sit tribuendus, Sa-

44) De aetate Sacerdotis ut breviter dicam, cum ei contra quos disputatur fere universe 'quidam' appellentur, in his libris duo tantum nominantur scriptores ex quorum mentione de aetate scriptoris aliquid effici posse aliquis putaverit: de metr. c. 11 § 11 p. 2664 P. nominatur Iuba metricus, cath. 19, 32 Aquila. Sed Iubae metrici mentio maximo opere vereor ne interpolatori sit tribuenda. haec enim illo loco legimus: '*arietat in muros et duros obice postes* cet. quos pedes quidam faciunt dactylicos

cerdos autem adeo noluerit latere nomen suum, ut saepissime id significaret, errore cum a posterioribus grammaticis tum in uno codice Probum scriptorem huius libri nominari necesse est. De quo errore tum demum accuratius dici poterit, postquam quid de altero libro qui Probi nomine inscribitur statuendum sit vi-

primas duas breves ligatas pro longa accipientes, sicut praecepit Iuba metricus, sed errans. nam genus est illud asynartetum, quo usa est Sappho per totum librum suum primum'. Ubi nemo non videt prorsus miro modo post quosdam inferri unum Iubam metricum. Itaque Sacerdos sic videtur scripsisse: 'quos pedes quidam faciunt dactylicos primas duas breves ligatas pro longa accipientes, sed errant. nam genus est illud asynartetum' cet. Atque 'errant' scriptoris consuetudinem postulare sensit iam Wentzelius p. 20. De Aquila prorsus est res incerta cf. Lindemannus ad l. c. Sacerdotis ipsius nomen apud alios grammaticos aeque raro occurrit: ter Sacerdotem commemorat Cassiodorus (cf. anall. gramm. p. III sqq.), praeterea eius mentio fit Pomp. p. 190, 24 (cf. p. 160 adn. 37), Rufin. p. 2713 P. c. 1 § 30 G., ubi in eorum numero refertur qui in veterum comicorum fabulis metrum inesse dixerint, schol. cod. Bern. 165 ad Verg. georg. III, 377 (cf p. 165). Plus quam aut ex his locis aut ex eis ubi pro Sacerdote Probus nominatur, de quibus infra accuratius exponam, de Sacerdotis aetate effici potest ex septimi casus exemplo hoc 'studente Sacerdote differentia inventa est' quod addita hac interpretatione Graeca σπουδάζοντος Σακέρδωτος ἡ διαφορὰ ηὑρέθη invenitur (Charis.) exc. 534, 34 sqq. et Dosith. p. 23, 27 sq. K., addita interpretatione hac σπουδάζοντος ἱερέως ἡ διαφορὰ ηὑρέθη Diom. 318, 7 sqq., quibus locis Sacerdotem grammaticum intellegendum esse multi viderunt (cf. Lachmann. ad Lucr. p. 28, Wentzel. p. 37, Keil. ann. phill. 1867 p. 642). Atque Sac. I, 82 casus septimus, quem primus commemoravit Quintilianus I, 4, 26, arctissimis circumscribitur finibus cf. Wentzel p. 35 sqq. Iam ex Dosithei quidem loco — Dositheus, ut H. Useneri merito scio, etiam de verbis impersonalibus atque de praepositione ad Sacerdotis nomine in exemplis usus est: 'bene apud Sacerdotem studetur' et 'ad Sacerdotem' — post Boucheri disputationem cuius p. 41 adn. 22 mentionem feci non multum colligi potest, sed cum Diomedi Sacerdos grammaticus incognitus fuerit, aliquanto ante Diomedem apparet Sacerdotem fuisse cf. Christius philol. XVIII p. 131 et 178. Atque cum in praefatione libri de metris Sacerdos nominaverit quattuor viros aequales nobilissimos, Uranium Gaianum Maximum Simplicium, cum ad Uranium Maximo et Aeliano coss. a. 224 edictum miserit Alexander Severus (cod. Iust. II, 1, 6) et ad Gaianum a. 242 Gordianus (ib. II, 38, 2), nihil video quod impediat quominus cum Osanno qui locos illos investigavit (symb. II, 298) medio fere saeculo tertio vel paullo ante Sacerdotem statuamus scripsisse cf. Christius l. c. p. 178.

derimus. In qua quaestione iam licet Keili opinione omissa res ipsas tantum spectare. Itaque artem Vaticanam inter omnes constat quarto p. Chr. saeculo non esse vetustiorem: p. 119, 26 enim Diocletianae (sc. thermae) commemorantur. Atque optime cum hac aetate cum oratio molestissima tum praecepta saepissime ineptissima conveniunt cf. Keilius praef. p. XXVIII sq. Praeterea Christianum prodere videntur quae p. 129, 12—15 de genetivo pluralis nominis Samuelis disputantur. Donato autem non inferiorem aetate fuisse huius artis scriptorem ex ea re aliquis probabiliter efficiat, quod agnoscit optativom temporis praeteriti perfecti[45]. Iam demonstrari potest initio quarti p. Chr. saeculi fuisse Probum quendam a studiis grammaticis non alienum. Nam apud Rufinum I § 29 G. p. 2712 P. legimus: 'Firmianus ad Probum de metris comoediarum sic dicit: *nam quod de metris comoediarum requisisti, et ego scio plurimos existimare Terentianas vel maxime fabulas metrum non habere comoediae Graecae* — fortasse *novae* addendum est —, *id est Menandri Philemonis Diphili qui trimetris versibus constant. nostri enim veteres* (*veteris?*) *comoediae scriptores in modulandis fabulis sequi maluerunt Eupolim Cratinum Aristophanem*' (cf. § 9). Hunc Firmianum esse Lactantium Firmianum recte statuerunt Osannus (symb. II, 366) et Wentzelius (symb. crit. p. 54 et de Prob. art. p. 15). Atque Osannus attulit Damasi ad Hieronymum epistulam in qua de Lactanti epistulis haec dicuntur: 'fateor quippe tibi eos quos mihi iam pridem Lactantii dederas libros ideo non libenter lego, quia et plurimae epistulae eius usque ad mille spatia versuum tenduntur et raro de nostro dogmate disputant, quo fit ut et legenti fastidium generet longitudo, et si qua brevia sunt scholasticis magis sint apta quam nobis de metris et regionum situ et philosophis disputantia' (tom. I p. 159 ed. Vall.); praeterea recte Osannus ad Lactantium Firmianum rettulit Max. Vict. p. 288 L. 1957 P. 'nostra quoque memoria Lactantius de metris pentameter inquit et tetrameter'. Itaque Lactantium rei metricae operam dedisse constat, item constat eum quattuor libros epistularum ad Pro-

45) Cf. Prisc. II, 266, 10 sqq.: 'quod autem Latini quoque omnibus temporibus subiunctivi modi etiam in optativo utuntur, ostendit tam usus quam antiquiores Donato artium scriptores' cet.

bum quendam misisse (cf. Hieron. scriptt. eccless. 80 et praef. lib. II comm. in epist. ad Gal.) quod Osannum videtur fugisse. Quae cum ita sint, vix potest dubitari quin Firmianus[46]) ille Rufini sit Lactantius. Is igitur epistula quadam ad Probum data — Rufini enim verba necessario ad epistulam videntur referenda esse, contra quae Victorinus tradit potius ad partem grammatici, quem librum Hieronymus scr. eccl. 80 commemorat, videntur spectare — quaedam de metris comoediarum exposuit et quidem Probi rogatu. Habemus igitur Probum Lactanti aequalem fere a rebus grammaticis non alienum. Atque hunc artem Vaticanam scripsisse Wentzelius (ll. cc.) statuit cf. Osannus l. c. Quam rationem ita probo, ut non nihil dubitationis restare facile concedam: neque enim demonstrari potest illum Probum fuisse iustum grammaticum. At hoc mihi nihil habere videtur dubitationis fuisse Probum artigraphum quarti p. Chr. saeculi priore parte dimidia, nam de nomine eius qui artem Vaticanam scripsit quominus fidem habeamus codicibus et posterioris aetatis grammaticis, nihil mihi esse videtur quod obstet.

Iam postquam a quibus catholica et ars Vaticana videantur esse scripta vidimus, restat ut explicemus quomodo posteriores grammatici catholica quoque Probo tribuere potuerint. Quod si explicaverimus, etiam apparebit quomodo in unum codicem Bobiensem pro Sacerdotis nomine, quo non potest dubitari quin inscriptus fuerit is codex unde uterque catholicorum codex fluxit, Probi nomen potuerit irrepere. Itaque ego sic statuo, fuisse tempus cum Sacerdotis libri duo priores volgo in scholis usurparentur, post Probi artigraphi artem prioris libri locum obtinuisse, i. e. Probi artem una cum Sacerdotis libro altero usurpatam atque scriptam esse: ita facillime fieri potuit ut nomen prioris libri scriptoris, qui etiam magis notus erat posterioris aetatis hominibus, paullatim etiam ad alterum librum referretur. Sic non est mirum quod posteriores grammatici ad Sacerdotis librum alterum significandum Probi nomine utuntur. Neque tamen prorsus Sacerdotis memoria est abolita, sed restabant exempla non modo

46) Etiam Hieronymus scriptt. eccless. 80, cum dicat 'Firmianus qui et Lactantius', Firmiani nomen tamquam primarium proponit.

tertii libri qui est de metris, sed etiam duorum priorum. Sic hi duo Sacerdotis libri continebantur eo codice unde duo qui exstant codices fluxerunt. Ex hoc antem codice videtur factum esse apographum solum librum alterum continens, quod cum postea describeretur, pro Sacerdotis nomine libro Probi nomen praepositum est ab aliquo qui secundum opinionem volgarem hunc librum Probi esse existimabat[47]). Atque qui consideraverit quanta fuerint neclegentia atqne stultitia posterioris temporis grammatici, ei haec ratio non ita mira videbitur. Magnam autem speciem verisimilitudinis eo adipiscitur, quod prorsus simili de causa Diomedis ars grammatica a multis Probo tributa est, qnod postea me demonstraturum esse confido. Nam priusquam ad Probi nominis apud alios grammaticos commemorationes transeam, etiam dicendum est de artis Probi recentioris inscriptione et de appendice huius artis et de Probi Valerii quae vocantur de nomine excerptis.

Eum librum quem, dum de scriptore eius res erat incerta, Wentzelium secutus artem Vaticanam nominavi Angelus Maius inscripsit 'grammaticus Vaticanus', editores Vindobonenses ex codice recentissimo Paris. 7519 'Probi grammatici de octo orationis membris ars minor'; tantum 'Probi ars' inscribi volnit Osannus l. c. p. 176, quia veteres grammatici minorum et maiorum artium appellationibus non essent usi; denique 'instituta artium' Probum hunc librum inscripsisse Lerschius l. c. p. 633 ex Prisc. p. 727 P. I p. 283, 7 H. atque ex Pomp. p. 156 L. 165, 16 K. apparere censuit, quem secutus Keilius Probi artem etiam inscripsit 'instituta artium' etiam Pompei loco p. 187 L. 178, 14 K. pro argumento addito (praef. p. XXVIII). Sed in ea quidem re Lerschius et Keilius magno opere erraverunt, quod Pompei verbis quae leguntur p. 156 L. 165, 16 K.: 'scripsit autem ad hunc locum Probus unum librum, iste institutor iam artem scripsit, non scripsit perfectis, sed ad eos qui volunt se perfectos esse' Probi artis inscriptionem indicatam esse statuerunt. Nam aut maxime opere fallor aut certa est haec loci emendatio: 'iste institutoriam

---

47) Itaque is codex in quo catholicon liber Probo tribuitur non magis quam alter codex ex ipso codice archetypo descriptus est cf. p. 159.

artem scripsit', ita nt haec verba ad Donatum, non ad Probum pertineant[48]). Quod autem Priscianus, postquam 'aliud' nomen esse Probum in institutis artium ostendere dixit, ad verbum ea adfert quae legimus § 366 ed. Vind. p. 105, 23—26 K., et quod Pompeius p. 187 L. 178, 14 K. Probi artem instituta usurpat, inde certo hoc tantum efficitur Pompeium et Priscianum illam fuisse inscriptionem Probi artis existimavisse. Atque cum et Pompeius et Priscianus Sacerdotis librum alterum Probo tribuant, quaeritur, utrum eo quod Probi ars una cum Sacerdotis libro altero describi atque usurpari solebat is tantum error natus sit, ut is liber qui posteriorem locum obtinebat prioris libri scriptori posterioris aetatis hominibus magis noto non minus quam prior tribueretur, an etiam is, nt ei libro qui priorem locum obtinebat ex alterius libri locis nonnullis nova inscriptio imponeretur. De qua re in tanta grammaticorum posterioris aetatis neclegentia atque socordia quomodo statuam incertus sum, quamquam concedo paullo facilius eius qui priorem librum scripsit nomen etiam alteri libro obtingere potuisse, si prior liber inde ab initio eadem inscriptione utebatur, qua cum initio alterius libri tum aliis locis significatum erat eum librum usum esse qui ab ipso alterius libri scriptore huic praemissus erat. Itaque inscriptio Probi artis mihi videtur adhuc esse incerta, atque interim eam hac simplici appellatione usurpandam esse cum Osanno putaverim.

Atque iam de appendice Probi artis dicendum est. Quae in codice Vindobonensi Probi recentioris artem nulla inscriptione praemissa secuntur — haec enim appendicem ad Probi artem minorem appellaverunt editores Vindobonenses, appendicem Probi Keilius — ex partibus diversis constant. Primum enim quarundam ablativi et nominativi terminationum

48) Qui locum accuratius inspexerit, mecum faciet. Agitur de genere nominum ex nominativi singularis terminatione definiendo. Eam rem Donatus brevissime attigerat (p. 376, 10—21 K.), Probum Pompeius dicit de ea totum librum scripsisse; atque ita Pompeius Donatum excusat, ut Probum perfectis, Donatum eis qui vellent se perfectos esse scripsisse dicat. Si scribitur 'institutor iam', neque quid totum enuntiatum sibi velit neque quid particula 'iam' significet intellegitur. De quonam autem libro Pompeius cogitaverit, postea considerabimus.

atque nominum numeri semper pluralis ubique generis nominum ratione habita exempla enumerantur (§ 1—28 p. 193, 2—196, 12) prorsus ad rationem Probi artis, in qua nusquam nominantur declinationes, sed tota declinatio secundum ablativi terminationes et genera nominum et nominativi termitiones percurritur. Videtur igitur is qui haec exempla collegit Probi artem respexisse, ac fere nulla earum rerum quas exemplis inlustravit — tantum rerum paullo rariorum exempla adferuntur — in Probi arte non commemoratur [49]). Neque tamen Probus artigraphus ipse haec exempla collegit: hoc iam propterea statui nequit, quia numeri exemplorum non conveniunt — ubique enim in arte numerus exemplorum aut magis accurate aut minus indicatur —; praeterea nonnulla inveniuntur quae a Probi artigraphi praeceptis recedant [50]), nam app. § 24 p. 195, 14 legimus: 'nomina generis neutri quae nominativo casu n. s. as litteris definiuntur: fas nefas nugas', Prob. 117, 33 sqq. nugas generis omnis esse dicitur, praeterea artis scriptor non omisisset vas, quod nomen aptote declinandum esse dicit p. 125, 29 sqq. Sequitur disputatio de casuum usu (cf. Charis. p. 291—296 Diom. p. 310, 30—320, 9 de idiom. cas. gr. L. IV, 566 sqq.), cui addita est enumeratio nominum cum accentu producto, nominum cum accentu correpto, denique nominum masculini generis (§ 29—37 p. 196, 13—197, 18), quae unde petita sint — nonnulla exempla etiam apud Diomedem inveniuntur — aut quo spectent nescio. Tum reperimus tractatum orthographicum (§ 38 p. 197, 19—199, 17) valde idoneum ad cognoscendam pravam pronuntiationem volgarem posterioris temporis, cum rectae

49) Tantum de femininis quae ablativo casu numeri singularis e littera correpta termineutur et aptota esse reperiantur § 13 p. 194, 27 sqq. in arte nihil possum invenire, fortasse autem ratio est habita libri de sonis cf. p. 92, 4; nam agnovisse Probum eiusmodi nomina ex p. 91, 37 videtur apparere.

50) Quamquam non est neclegendum hanc appendicem satis esse interpolatam, velut quod consensu (193, 4 et 15) discessu (193, 5 et 18) accessu (193, 9 et 18) infractu (193, 9 et 11) bis adferuntur, vix ei tribui potest qui haec exempla collegit, atque etiam quod 193, 22 inter nomina numeri tantum singularis adferuntur 'gestu magistratu artu flatu portu', interpolatori videtur adscribendum (de artu cf. Prob. 116, 9).

scripturae semper opponatur prava. Atque satis multa quae in hac parte praecipiuntur etiam in Probi arte invenimus, velut 197, 28 'avus non aus' cf. 107, 19; 197, 28 'miles non milex' cf. 126, 36; 197, 28 'sobrius non sober'[51]) cf. 126, 23; 197, 28 'figulus non figel' cf. 130, 11; 197, 29 'masculus non mascel' cf. 102, 12; 197, 30 'barbarus non barbar' cf. 102, 8; 199, 3 'plebs non pleps' cf. 126, 1; 199, 11 'labsus non lapsus'. cf. 126, 6; 198, 6 'cocleare non cocliarium' cf. 124, 29; 198, 26 'teter non tetrus' cf. 59, 36; 199, 13 'Adon non Adonius' cf. 121, 29. Ex quibus cum nonnulla satis sint propria, valde verisimile est eum qui hunc tractatum scripsit Probi arte esse usum. Praeterea adnotandum est de nonnullis rebus quae in hoc tractatu commemorantur Probum in arte dicere se expositurum esse in orthographia, velut de nominibus quae u litteram omittant ut puta seculum et seclum p. 119, 10 et 16 cf. app. 197, 20 'speculum non speclum' 198, 18 'oculus non oclus' al., de i in e mutato p. 119, 2 et 16 cf. app. 197, 32 'brabium non brabeum' al. Saepe prorsus similia in arte invenimus exposita, velut 197, 23 'vacua non vaqua, vacui non vaqui' cf. 183, 16 sqq. 'secui et non sequi, acui et non aqui'; 198, 27 'triclinium non triclinu (tricliniu?)' cf. 124, 3 sqq. 'solstitiu an solstitium'. Quod pugnet cum artis praeceptis, nihil inveni, nisi quod 198, 17 legimus 'senes non senis' cf. 90, 31 et aliis locis satis multis 'senex', sed necessario 'senes' quod nusquam praeterea quantum scio invenitur mutandum est in 'senex'[52]). Itaque ego sic statuo, hunc tractatum excerptum esse cum ex arte Probi tum ex disputatione de orthographia quae commemoratur 119, 16 cf. anall. gramm. p. XXI. Nam non Probum ipsum haec conscripsisse primum inde patet quod omnia confusa sunt, deinde inde quod quaedam bis inveniuntur: 198, 4 et 28 'turma non torma'; 198, 4 et 199, 4 'celebs non celeps'; 198, 22 et 33 'anser non ansar'. Ceterum non idem videtur haec exposuisse qui exempla illa de quibus primo loco dictum est collegit; certe p. 199, 12 legimus 'grali non cracli', p. 195, 23 'cracli' in-

51) Nam ita recte mihi videntur locum emendasse editores Vindobonenses.

52) Vitium inde natum est quod antecedunt 'clades non cladis, Syrtes non Syrtis. aedes non aedis', sequitur 'proles non prolis'.

venimus. Quamquam haec discrepantia fortasse librariis tribui potest. — Secuntur differentiae § 39—110 p. 199, 18—203, 34, quarum pars quaedam § 39—61 p. 199, 18—201, 10 etiam invenitur in codice Montepessulano 306 s. IX, hac praemissa inscriptione: 'incipiunt differentiae Probi Valerii'. Sed Valeri certe nomen falso esse additum inde patet, quod tales differentiae quales sunt 'inter hos et os' 199, 20, 'inter labat et lavat' 199, 22, 'inter beneficum et veneficum' 200, 9, 'inter habeo et abeo' 200, 11, 'inter acerbum et acervum' 200, 22 al. omnino non primi p. Chr. saeculi homini, nedum grammaticis nobilissimis tribui possunt. Habemus igitur manifestum exemplum additi Valeri nominis, atque qui hoc addidit de Gelli potissimum locis videtur cogitasse, nisi Suetoni de grammaticis libelli, cum nomen Valeri his differentiis imponeretur, etiam exstitisse exemplaria compluria putamus. Codex Montepessulanus non videtur pendere ex Vindobonensi, quantum quidem ex Keili commentario critico parum accurato iudicari potest[53]. Neque ego hoc cupidius arripuerim, quod in codice B inter ea quae de sum et suum dicuntur § 57 p. 200, 30—31 et ea quae de aes et es dicuntur § 58 p. 200, 32—33 quinque desunt versus — ne hoc quidem Keilius indicavit —, cum codex M eo loco non plura habeat Vindobonensi, ex qua re ex eodem codice archetypo, qui illo loco legi non potuerit, utrumque codicem originem ducere forsitan efficiat quispiam[54]. Ceterum in hac quoque parte multa sunt quae cum artis praeceptis et usu consentiant, velut 201, 29 'cooleare' cf. 124, 29; 201, 15 'inter neutrum et neutrale hoc interest, quod neutrum nomen aut pronomen vel participium significat, neutrale vero verbum esse demonstrat' cf. 52, 5 sqq. et 156, 11 sqq. — quod 157, 2 de verbis legimus 'neutri generis vel qualitatis' neclegentiae librariorum videtur esse tribuendam —; p. 203, 3

53) P. 200, 13—14 satis discrepant a § 51 Vindob., sed nihil adnotavit Keilius; p. 200, 6 Keilio teste M habet 'prudigium' quod in B esse adnotant editores Vindobonenses.

54) Etiam post § 58 p. 200, 33 unus versus et post § 56 p. 200, 25 quinque versus in B desunt, sed his locis plura exhibet codex M. Item in posteriore harum differentiarum parte, quae non legitur in M, in B bis versus aliquot desunt: post § 82 p. 202, 16 et post § 83 p. 202, 18.

'fructuus', 6 'visuus', 8 'bassuus' cf. 114, 10 et 116, 33 sqq.; 203, 6—7 cf. 115, 21—27; 203, 8—9 cf. 115, 28—34; 203, 17 cf. 130, 16 sqq. Saepe certe similia in arte invenimas exposita, velut 199, 20 hos os, 200, 11 habeo abeo, 201, 35 honestum onustum, 203, 12 ortus hortus cf. 185, 5 et 16 traho veho trao veo, 145, 9 aut haud, 146, 17 hei ei; 203, 14 sobriae sobrie, 200, 28 saevit sevit, 200, 32 aes es cf. 145, 6 que quae; 203, 16 feminam femina, 18 marem mare cf. 124, 3 solstitium non solstitiu; 200, 13 mutum et mutuum, 30 sum et suum cet. cf. 107, 40. 126, 16. 129, 16. Itaque ego has differentias ad quaestionem illam orthographicam Probi recentioris pertinuisse statuo [55]), ita ut Probi nomen in codice Montepessulano earum parti priori recte praepositum esse putem. Apparet autem posteriorem differentiarum codicis Vindobonensis partem non posse seiungi a priore. Atque earum differentiarum quae non in codice M inveniuntur una diserte Probo tribuitur in cod. Paris. 7491 s. X f. 93 'sed secundum Probum neutrum in nomine, neutrale in verbo rectius dicimus' quae verba Keilius praef. p. XXX recte rettulit ad app. 201, 15. Commemorandum etiam est nonnullas prioris partis differentias legi etiam in cod. Vindob. 16 f. 68 v. (anall. gramm. p. 226). — Denique in fine appendicis verba deponentia enumerantur, post quae legimus: 'nunc hoc monemus, quod exceptis supra dictis deponentibus et communibus quaecumque iam verba indicativo modo temporis praesentis ex prima persona r littera terminantur et ex sua specie non possunt facere verba activa, haec indiscreta qualitate accipiuntur .... communis sive deponentis verbi potestate fungantur'. Quae verba prorsus cum oratione Probi artis convenire sentiet qui paucas eius paginas perlegerit. Neque minus res conveniunt, nam quod permulta verba indiscreta qualitate accipi dicuntur, id prorsus consentit cum p. 157, 4 et 14, ubi definitiones verborum deponentium et verborum communium ad verbum eaedem sunt. Iam cum p. 157, 24 Probus in sonis se tractaturum esse dicat qua disciplina deponens verbum a communi discernatur, valde est

55) Eodem modo in Flavi Capri et Agroeti de orthographia libris verborum differentiae inveniuntur cf. Reifferscheidius Suet. rell. p 451.

verisimile extremam appendicis partem ex hoc ipso libro sumptam esse. Ceterum ea verba quae enumerantur, ut deponentia enumerantur: ingredior (203, 35 cf. adgredior 204, 1) deponens est secundum p. 139, 23 (item congredior secundum p. 157, 9 et 159, 15); recordor (203, 37) deponens est secundum 157, 8 et 158, 30. Quamquam quodnam discrimen inter verba deponentia et verba communia intercedere Probus artigraphus statuerit, equidem non satis discipio. Recte autem Osannus (symb. II, 187 sqq.) omnes Probi artis locos ubi ad alium librum delegamur, quamvis multis hoc fiat rationibus, ad eundem librum pertinere videtur statuere, ita ut de discrimine verborum deponentium et communium non alio libro sit expositum atque de orthographia et de differentiis.

Transeamus ad Valorii Probi de nomine fragmentum, ut editores Vindobonenses, vel excerpta, ut Keilius ea inscripsit quae in codice Vindobonensi 17 olim Bobiensi inscribuntur: 'incipit Valerii Probi de nomine'. Fragmentum ideo appellaverunt Vindobonenses quia deest subscriptio, excerpta Keilius ideo quia haec excerpta esse primo adspectu apparet. Editores Vindobonenses (p. XI) et Osannus (symb. II, 259) haec excerpta esse putaverunt e compluribus Probi artigraphi libris, ego ne Probi quidem nomen recte his excerptis imponi existimo; nam inscriptionem 'incipit Valerii Probi de nomine' ob eam unam rem eis praepositam esse puto, quia in eodem codice inerat ars Probi recentioris qui cum Valerio Probo Gelliano confundebatur. Ex variis autem libris grammaticis haec frustula esse excerpta iam inde patet quod duas excerptorum quasi series possumus adhuc discernere: nam inde a p. 211, 32 usque ad p. 213, 5 habemus seriem alphabeticam, eodem modo cohaerere videntur p. 214, 4—216, 7, si excipias p. 214, 7—30, nam 214, 4 habemus titulum 'generis masculini' atque usque ad 215, 29, si 214, 7—30 excipias, de solis agitur masculinis, 215, 30 invenimus inscriptionem 'generis feminini' et quae secuntur ad feminina sola pertinent[56]. Praeterea etiam varios invenimus terminos technicos

56) In alphabetica illa serie duo habemus fragmenta aliunde non nota, Ciceronis orationis secundae pro Cornelio p. 212, 8, et Lucili p. 212, 10, ubi codex falso 'Lucretius' exhibet, ut app. 195, 23 pro Horatio nominatur

quos vocant: 208, 19 legimus 'virus autem aptoton est', 214, 22 commemorantur monoptota nomina, 215, 22 rursus legimus 'nomina aptota', nam 214, 25 verbum 'aptota' recte a Keilio damnatum est. Atque varii illi libri grammatici quibus est usus excerptor satis recentis aetatis fuerunt: in illa serie alphabetica p. 212, 4 discimus fetigati, non fatigati esse dicendum; in altera illa serie p. 215, 22 legimus 'nomina aptota masculina, id est quae per omnes casus tam singulares quam plurales similiter aptantur'; 208, 29 commemoratur dignitas comitum. Ut autem nonnulla unde hausta videantur aut hauriri potuerint indicem — maximam eorum quos adferam locorum iam Keilius contulit — ex Probo recentiore haec peti potuerunt: 207, 27 'veteria non dicuntur nominativo, sed vetera' cet. cf. 71, 38 (cf. etiam Charis. 60, 9); 211, 12 'masculus non mascel' cet. cf. 102, 13. app. 197, 29; 212, 1 'criminosus an criminator' cet. cf. app. 201, 1; 213, 8 'ebrius non eber, sobrius non sober' cf. 106, 4. 126, 23. app. 197, 28 (cf. Serg. in Don. 543, 5); 214, 26—30 cf. 120, 30 sqq. (cf. Serg. in Don. 543, 8 sqq. Diom. 309, 25 sqq. Prisc. I, 180, 12 sqq.) — fortasse is qui his excerptis Valeri Probi nomen imposuit ex parte animadverterat horum locorum similitudinem —; ex Diomede petita videntur 211, 1—2 'sunt quaedam nomina in us litteris terminata quae ex se bina adverbia faciunt' cet. cf. Diom. 406, 33 sqq.; et 207, 20—22 cf. Diom. 310, 31—33; ex Charisio 215, 5—12 cf. Charis. 52, 27—53, 5; 215, 26 cf. Charis. 82, 5; 212, 34—213, 2 cf. Charis. 144, 3—5; 209, 27—30 cf. Charis. 62, 3—8 (cf. Prob. 130, 6. Serg. in Don. 541, 26); 214, 33—34 cf. Charis. 95, 27, ubi verba 'de ficu se suspendit' perdiu falso Varroni tributa esse ex excerptoris loco apparet; ex Sacerdotis catholicis p. 24, 22 sqq. (cf. etiam [Charis.] exc. 541, 38 sqq.) hausta esse videntur quae p. 215, 27—29 de triplici declinatione nominis Chremetis dicuntur, quae sic videntur emendanda: 'Chremes regulam declinationis triplicem habet, unam ut hic Chremes huius Chremis (cod. 'Chremes'), aliam ut hic Chremes huius Chremetis, item aliam ut hic Chre-

Vergilius, exc. 208, 25 pro Horatio Lucretius; in ceteris excerptis omnibus tem duo, Corneli Severi p. 208, 16 et Afrani p. 209, 24, nam Lucili fragmentum quod legitur p. 209, 10 invenitur etiam Serg. in Don. 542, 12.

mes huius Chremi (cod. 'Chremis'), id tantum interest quod Sacerdos Chremi non genetivi formam, sed dativom pro genetivo positum esse statuit; denique multa quae in his excerptis legimus etiam in Sergi qui vocatur in Donatum explanatione invenimus, velut 208, 23—209, 5 cf. Serg. in Don. 538, 29—33 (cf. Charis. 52, 17 sqq.); 209, 31—210, 5 cf. Serg. in Don. 538, 34—539, 5 (cf. [Charis.] exc. 555, 25—29. Charis. 101, 4 sqq. Prob. 124, 16 sqq. Serv. in Aen. II, 554. exc. gramm. in anall. gramm. p. 207).

Postquam de libris grammaticis qui Probi nomine inscribuntur diximus, restat ut Probi nominis apud grammaticos commemorationes consideremus. E quarum numero satis magno si eas volumus expiscari quae ad antiquum tempus videantur esse referendae, ex eis quae exposui apparere puto duo commemorationum genera prorsus esse secludenda, eas nimirum quae aut ad Sacerdotis librum alterum aut ad Probi recentioris scripta pertinent. Sed segregandum est etiam tertium genus, de quo primo loco accuratius dicam. Nam Henricus Keilius cum in symb. p. 93 sqq. tum in praef. vol. IV p. XXII sqq. magnum numerum locorum grammaticorum posterioris atque adeo infimae aetatis collegit, ubi Probo tribuuntur quae vel eisdem verbis vel certe prorsus similiter apud Diomedem exponantur. Ex quibus locis ille eam concepit opinionem, ut M. Valeri Probi Berytii libris grammaticis non modo Diomedem usum esse statueret, sed etiam extremae litterarum Latinarum aetatis grammaticos, quamquam non incorrupti mansissent usque ad eam aetatem Probi libri, sed vario modo illi a pristina integritate deflexi (symb. p. 95). Sed in hac quoque re Keilium studium illud omnia Berytio vindicandi in errorem induxisse existimo: posteriores enim grammatici illi saepe ita Probum nominant ut significent Diomedem, eodem modo quo aliis locis ita Probum nominant ut significent Sacerdotem et quo ita Cominianum nominant ut significent Charisium cf. Keilius praef. vol. I p. XLVIII et Christius philol. XVIII p. 124. Atque duabus rebus Keilium refelli posse puto, primum ita ut demonstrem pluribus etiam locis quam Keilius statuit a grammaticis Probo tribui quae apud Diomedem legantur, deinde ita ut ostendam esse Probi commemorationes per se satis miras

quae facile explicentur, si meam sequamur rationem. Cuius generis unum tantum habeo exemplum, sed eiusmodi quo fortasse tota lis dirimatur: Cledon. p. 10, 6 de partibus orationis legimus haec: 'Probus et Varro, alter eorum in duas partes scribit et reliquas subiectas facit, alter in quattuor, prout quisque potuit sentire. nos vero convenit Donati sequi auctoritatem' cet. Varronem orationem in quattuor partes divisisse verum est cf. Wilmannsius de Varr. libris gramm. p. 115, at quis in duas partes grammaticum orationem sibi persuadebit divisisse? Iam Diom. 426, 15 legimus: 'grammaticae partes sunt duae' cet., paullo post v. 21: 'grammaticae officia, ut adserit Varro, constant in partibus quattuor' cet. Nonne igitur verisimile est Cledonium confudisse partes orationis et partes grammaticae? Atque facilius quidem eas res confundere poterat, si scivit Varronem in quattuor partes orationem divisisse, quamquam de ea re in homine tam recentis aetatis — Keilius praef. p. 8 quinto saeculo Cledonium vixisse statuit, sed haec ratio minime est certa — valde potest dubitari. — Iam eorum quos Keilius attulit locorum pars longe maxima non in editis grammaticorum libris, sed in codicibus invenitur. Atque quae in codice Caroliruhensi Prisciani ad I, 428, 12 H. Probo tribuuntur, ad verbum leguntur Diom. 343, 13 cf. Keil. p. XXII. — Quae autem in codice Parisino 7491 s. X f. 90 leguntur 'qualitatem autem in modis bipertitam esse Probus adfirmat dicens *qualitas verborum aut finita aut infinita est. finitiva verbi qualitas est, cum quasi definitiva et simplici utimur expositione ipsa distinctione per se sine alterius conplexu, ut accuso as at. infinitiva sane qualitas est, in qua haec universa confusa sunt ut legere*' (cf. Keil. p. XXII) satis neglegenter dicta esse ex diversis formis 'finita' 'finitiva', 'infinita' 'infinitiva' apparet; atque tantum quae de finitiva qualitate dicuntur de modo finitivo leguntur Diom. 338, 17; de primis quae Probo tribuuntur verbis cf. Sac. I § 14 'qualitas in verbis aut finita est ut amo aut infinita ut amare' et Max. Vict. p. 278 L. 1946 P. — Eorum quae ibidem f. 93 (cf. Keil. p. XXIII) Probo tribuuntur activorum, passivorum, neutrorum verborum definitiones petitae sunt ex Diom. 336, 26, quae praeterea legimus 'sed secundum Probum neutrum in nomine, neutrale in verbo rectius dicimus',

quae de Diomede neutra verba et neutralia promiscue dicente (cf. 337, 4. 8. 347, 1—8. 33) omnino dici nequiverunt, ad Prob. app. 201, 15 pertinere iam supra dixi (p. 174), atque videntur ad corrigendum scriptorem ab alio esse adscripta, quo additamento in ipsa scriptoris verba recepto factum est ut neutrorum definitionis pars intercideret (nunc invenimus tantum 'neutra sunt quae o littera terminantur'). — Quae fol. 94 de temporibus leguntur (Keil. p. XXIII) ex Diom. 335, 20 hausta esse apertum est. — Eodem modo quae in codice Leid. 136 s. X f. 143 Probo tribuuntur (Keil. p. XXIII) ad verbum conveniunt cum Diom. 395, 30. — Item patet quae ex codice Paris. 7491 f. 92 Keilius p. XXIII sq. attulit ad Diom. p. 398, 31 pertinere. — Denique quae ibidem et in codice Leid. 135 Probus de gerendi modo docuisse dicitur ('Probus vero in his [gerendi verbis] actum tantum fieri docet excludens passionem. sed notandum quod Probus in his quae a neutro vel a deponenti veniunt merito et recte exclusit, non ab his quae ab activo veniunt. ... item ut ait Probus haec participia non sunt, sed propria sermonis species. participia enim cum sint talia, recipiunt et personam et numerum ut ab his legendis') vix dubitari potest quin ad Diom. 342, 3 et 396, 9 pertineant (cf. Keil. p. XXIV), quamquam Diomedes eis locis non utitur appellatione gerendi verborum, sed participialium (sed cf. 352, 34. 354, 16. 355, 19. 356, 13 al.) neque priore loco participialia patientis significatum habere negat, sed impersonalia, quae rursus grammaticorum qui Diomedem adhibuerunt neclegentiam ostendunt.

Praeterea Keilius p. XXII schol. Bern. ad Verg. ge. IV, 134 'carpere] carpebat. infinitivo enim inperfecta tempora significat more veterum ut Probus ait' recte contulit cum Diom. 341, 4 'hoc modo (sc. infinitivo) plerumque veteres praecipue historiae scriptores et inperfecta tempora finitiva significant' cet. Sed eodem modo ea quae Servius ad Aen. X, 33 adnotat (cf. Keil. p. XIX): 'neque illos Iuveris auxilio] concessivus est modus iste secundum Probum: namque in artibus non invenitur. fit autem quotiens taedio contentionis quasi videmur concedere quod tamen nolumus fieri' petita puto ex Diom. 396, 30, propterea autem ante vocem 'artibus' intercidisse puto 'aliis'. Atque etiam

ea quae ad Aen. I, 1 Servius aduotat: 'Probus ait Troiam Graios ot Aiax non debere per unam i scribi' hausta esse existimo ex Diom. 428, 10 '(positione longa fit syllaba modo) septimo cum correpta vocalis desinat et interposita i excipiatur a vocali, ut *furias Aiacis Oilei* et *Troiaque nunc stares* et *nate dea nam te maioribus*, quoniam inter duas vocales duarum syllabarum posita i geminatur. sic enim scribi per geminatam litteram metri ratione desideratur (desiderat Keil.), si quidem potestatem tuetur duplicis consonantis' cf. Mar. Vict. I, 7, 9 G. p. 2477 P.[57]. Neque minus ad Diomedem referenda esse puto quae ad Aen. VII, 421 (Turne, tot incassum fusos patiere labores cet.) de Probo apud Servium legimus: 'Probus de temporum conexione libellum conposuit, in quo docet quid cui debeat accommodari, ex quo intellegimus hanc quam fecit arduam esse conexionem. nam patiere futuri temporis est, fusos vero participium est praeteritum' cf. Keilius symb. p. 94 et praef. p. XIX. Cogitavisse enim videtur is qui haec adnotavit non de uno ex paucis illis et exiguis libellis a Probo Berytio editis, ut primo adspectu forsitan coiciat quispiam, aut de libello aliquo Probi recentioris, ut putavit Osannus symb. II, 258, sed de Diomedis capite quod est de coniunctione temporum p. 388, 10 sqq., in quo dolendum est nunc lacuna esse hausta ea quae de futuro erant disputata cf. Keilius ad p. 390, 9; sed vix potest dubitari quin ut in praesenti tempore et in perfecto ita etiam in futuro Diomedes rationem habuerit infinitivorum. Eandem autem partem Diomedis artis continuisse videtur is codex bibliothecae Pontiniacensis in quo Montefalconius biblioth. biblioth. manuscr. vol. II p. 1334 inesse ait 'Probum de ratione temporum' cf. anall. gramm. p. XX et Keilius praef. p. XXIV adn. Eo facilius autem de quattuor illis scholiorum Vergilianorum locis ita possumus iudicare ut iudicavimus, quod neque apud Servium neque in scholiis Bernensibus usquam commemoratur Diomedes. — Deinde recte Keilius p. XXIII quae a Consentio p. 2051 P. p. 366, 18 K. de verbis neutris Probo tribuuntur contulit cum Diom.

57) Haec si recte disputata sunt, concidit Kretzschmeri coniectura dubitanter ab ipso proposita (de Gell. fontt. p. 90), a Ribbeckio proll. Verg. p. 139 comprobata de Gelli c. IV, 17 Valerio Probo vindicando.

337, 10[58]). — Denique Keilius p. XXIII unum Pompei locum cum Diomedis loco recte comparavit: Pomp. p. 367 L. 259, 36 K. legimus: 'nam ideo voluerunt dici deponens verbum, eo quod deponat unum participium quod in dus exit. nam falso dicunt, habes hoc in Probo, falsum est dicit quod dicunt verbum deponens esse ab eo quod non deponat r litteram quasi cata antiphrasin, quo modo dicimus Parcas ab eo quod non parcant, quo modo dicimus lucum ab eo quod non luceat, sic et deponens. falsum est. nam incipies et commune verbum deponens dicere, nam et commune verbum r litteram non deponit', Diom. 337, 24: 'deponens est (significatio) quae in r litteram desinit ut passiva, sed ea dempta Latinum non est, unde per antiphrasin id est e contrario sic appellatur, quia verbum r littera finitum deponere eam non potest'. Iam primo adspectu haec pugnare videntur, cum Pompeius verbis 'falsum est dicit quod dicunt' cet. contrarium Probum dicentem inducere videatur. Sed patet verba 'falsum est dicit quod dicunt' pravom esse additamentum: 'dicit' ad ipsum Pompeium pertinet et verbis 'falsum est dicit quod dicunt' nihil aliud quam verba 'falso dicunt' explicantur[59]). — Sed eodem modo ad Diomedem est referenda Probi commemoratio p. 139, 14: 'illae semper accidunt (nomini) qualitas genus numerus figura casus, illa (comparatio) non numquam accidit. hoc sciens Probus abstinuit se: inter accidentia semper non dixit illud quod non numquam accidit, non, sed dixit *nomini accidunt qualitas genus numerus figura casus* et non dat conparationem nomini'. Haec non possunt referri ad Probi art. 51, 22 ut Keilius p. XXI opinatus est, nam ibi legimus 'nomini accidunt qua-

---

58) In eadem pag. v. 27 K. quaedam leguntur de verbis singulis tantum generibus aptis ut gignere parere, quae apud Putschium Probo tribuuntur, sed Probi nomen quam habeat auctoritatem, non constat cf. Keilius ad h. l.

59) Duo eiusmodi additamenta inveniuntur p. 274, 32, quem locum cum Keilius prorsus infeliciter constituerit, breviter indicabo quomodo sit emendandus: '[De ablativis ista est quae in quaestionem venit quam removit clam] De ablativis sunt istae duae quae in quaestionem veniunt clam et tenus. semper Donatus clam conputat inter ablativas praepositiones; et in alia parte artis hoc fecit et hic fecit hoc. [clam vult remotam esse omnino] falsum est, sed est utriusque casus' cet.

litas genus figura comparatio ordo numerus casus accentus', neque quidquam haec discrepantia eo tollitur quod p. 56, 32 legimus 'comparatio nominum scilicet appellativorum est'. At Diomedes 320, 27 dicit: 'nomini accidunt observationes hae: genus numerus figura casus qualitas'. — Fortasse de Diomede cogitandum est etiam Pomp. p. 240, 34 '(verba deficiunt) per tempora: fero dicimus, ferui nemo dicit; quamquam temptat Probus mutare hoc ipsum ut dicas fero tuli, sed si fero tuli facit, tollo quid habes dicere? quomodo erit praeteritum tempus?' Keilius praef. p. XXII dubitari posse dicit utrum hoc ex cath. 39, 6 petitum sit an ad ea pertineat quae Probo auctore Diom. p. 380, 11 et 372, 2 disputaverit. Sed cath. 39, 6 § 170 Keilius ipse recte inclusit verba 'sustuli de utroque verbo; nam tuli ab eo venit quod est fero tuli' quae post verba 'lo tertiae correptae (faciunt) ..... aut li ut tollo tuli sustollo sustuli' ferri non posse patet. Praeter Diomedem autem Probum recentiorem Pompeius potuit significare, quippe qui non minus quam Diomedes (praeter locos a Keilio adlatos cf. 361, 14 sqq.) fero tuli declinet p. 189, 24 sqq. — Eodem modo quod (Serg.) in Don. 557, 19 de Probo traditur ('Probus non posuit suffero' cf. Keil. p. XXII) potest ad Diomedem referri qui neque 372, 4 neque 380, 12 sustuli etiam a sufferendi verbo proficisci posse significat, quamquam ipsius sufferendi verbi mentionem facit 361, 27. Sed verba illa 'Probus non posuit suffero' abruptiora sunt quam de quibus paullo certius iudicare liceret. — Multo certius quae (Serg.) in Don. 560, 2 leguntur ad Diomedem referri possunt, si Keili sequimur coniecturam qui pro corrupta codicis scriptura 'rebus in ea ratione ait arcesse esse quasi arceo cessare' scribendum esse suspicatus est 'Probus nova ratione'; Diom. 379, 11 enim legimus: 'sed interest (inter accerso et arcesso) quia accersere evocare intellegitur, arcessere autem accusare significat et ab arceo nascitur. etenim alium accusare a maleficiis arcere est'. — Sed num Cledonius ut p. 10, 6 ita etiam p. 20, 18 K., cum diceret: 'optativus est proprie praesentis temporis quod praesente tempore optamus; ita Donatus: nam Probus et Sabinus sic volunt declinari optativum per singula tempora quomodo coniunctivum ut Vergilius *fecissentque utinam*', de Diomedis ratione cogita-

rit (cf. Keil. praef. p. XXII) rursus mihi videtur prorsus esse incertum; nam potuit sane Cledonius Diomedem significare, quamquam is de optativi temporibus sibi nullo modo constat [60]), potuit autem etiam Probum recentiorem qui ubique ut quinque tempora coniunctivi ita etiam quinque optativi tempora habet (p. 160, 6 sqq.). Adnotandum autem est neque apud Cledonium neque apud Sergium neque apud Pompeium neque apud Consentium ullam fieri mentionem Diomedis.

Sed latius etiam serpsit illa Diomedis et Probi confusio, nam ut Probo ita etiam Valerio tribuuntur quae Diomedis sint: in expositione Latinitatis, quae inest in Lavantino codice 24 f. 21 sqq., p. 325, 25 K. apposito Valeri nomine eadem quae Diomedes p. 400, 5 sqq. traderet adferri Keilius docuit praef. vol. I p. LIV cf. praef. vol. IV p. XXIV adn. et V p. 325 sq.; praeterea Aldhelmus in libro de re gramm. et metr. p. 538 vol. V auct. class. Mai dicit: 'liquor si nomen tertiae fuerit declinationis pyrrhichius est ... nam si liquor verbum fuerit tertiae coniugationis vel tertii ordinis ut Valerio grammatico vocare libuit trochaeus' (cf. Osann. symb. II, 173), ut autem alii grammatici ita Diomedes satis saepe ordinis nomine utitur ad significandas coniugationes cf. 348, 15. 349, 1. 34. 350, 2. 5. 7. 9. 357, 25. 367, 15. 368, 19. 372, 23. 373, 4. 13. 378, 16. 379, 28. 383, 4. 384, 22; denique apud eundem Aldhelmum p. 560 (cf. Osann. l. c.) legimus: 'lentesco quod Valerius a prima coniugatione ortum testatur quod lento lentas lentat', iam Diom. 343, 20 legimus: 'item cum est lento lentas unde et Vergilius *lentandus remus in unda*, ex hoc inchoativum lentesco facit ut idem Vergilius *lentescit habendo*'. Ne Aldhelmus quidem usquam nominat Diomedem. Explicanda autem videtur haec Diomedis et Probi confusio simili modo atque illud quod Sacerdotis liber alter a multis Probo tribuitur: Probi recentioris ars et Diomedis ars videntur saepe in uno volumine fuisse coniunctae [61]).

---

60) Optativum praeteriti perfecti (cf. Prisc. II, 266, 10 H.), quem fere agnoscit, omittit 354, 28 355, 13. 35. 356, 28; optativum praesentis, quem damnat 340, 5 sqq., habet 357, 12. 35. 358, 9. 359, 15. 360, 8 22. 33. 361, 9 cf. 340. 28. 357, 18 38. 358, 35 al.

61) Probi ars et Diomedis ars etiam nunc una leguntur in codice Nea-

Transeo ad ea quae ad Sacerdotis librum alterum pertinent. Ac primo loco duo Servi in Vergilium commentariorum loci sunt considerandi. Ad Aen. II, 15 Servius adnotat: 'instar nomen est indeclinabile, licet Probus instaris declinaverit ut nectaris', quod non est dubium quin pertineat ad cath. 17, 2 'instar instaris, nectar nectaris' (cf. 6, 5 'instar instaris') cf. Keilius praef. p. XIX. Deinde ad Aen. VI, 866 legimus: 'instar similitudo et est nomen quod non recipit praepositionem. ad instar enim non dicimus quod Probus declarat', ubi patet veram esse codicis Paris. 7929 scripturam 'declinat' cf. Ribbeckius proll. p. 148. Verba autem 'quod Probus declinat' apparet esse additamentum. Ceterum instar praepositionem non recipere etiam ad II, 15 dicitur.

Tum Rufinus p. 2720 P. II § 31 G. Probum inter eos refert qui Latine de numeris scripserint, propterea autem non est dubium quin hoc loco de catholicorum scriptore cogitaverit, quod paullo post p. 2724 P. II § 43 G. additis verbis 'Probus de numeris oratoriis' ad verbum ea adfert quae leguntur p. 42, 10—11 § 190: 'trochaeus et paeon tertius faciet illam structuram Tullio peculiarem *esse videatur*'. Eodem modo ex ea parte quae est de structuris duo loci (p. 43, 7—10 § 192 et p. 40, 21—24 § 184—185) adferuntur in fragm. gramm. anall. gramm. p. 508 sq. cf. Keilius praef. p. XX. — Praeterea de Sacerdotis libro altero cogitavit Cledonius, cum p. 45, 18 Probum in arte quam de regulis scripsisset 'hic later' posuisse diceret cf. cath. 17, 4; ad eandem rem spectant Pomp. p. 138, 5 et 187, 5. Duobus aliis locis Pompeius Sacerdotis librum tam miro modo significavit, ut appareat eum non ipsum hunc librum legisse, quamquam aliter iudicavit Keilius gr. L. V p. 92: p. 165, 16 ubi de genere nominum ex nominativi singularis terminatione definiendo agitur dicit: 'scripsit autem ad hunc locum Probus

---

politano Borbonico IV A 16 s. XVI qui descriptus est a Ianellio catal. bibl. mus. Borb. p. 12 (cf. Osann. symb. II, 174, Keil. praef. vol. IV p. XIII) atque ordine mutato in codice Parisino 7494 s. IX de quo cf. Keilius praef. vol. I p. XXIX sq. — Aliter explicandum est, quod Cominiani nomine adscripto multi posterioris aetatis grammatici adferunt quae Charisi sint cf. Keil. gr. L. I p. XLVIII et Christ. philol. XVIII, 124.

unum librum' atque hunc librum non tironibus, sed perfectis scriptum esse addit (cf. de h. l. quae supra p. 169 sq. exposui); sed ut omittam in altero Sacerdotis libro etiam de verbis et de structuris agi, generis nominum in ea parte quae est de nominibus nulla fere ratio habetur, immo ex genere declinatio definitur velut 11, 15 sqq. 21, 5. Deinde p. 182, 30 legimus: 'habes unum librum Probi de isto genetivo scriptum; tantum modo hoc solum tractat in illo libro, de hoc casu'. Haec patet parum accurate esse dicta, quoniam non tantum de genetivo, sed de tota declinatione atque etiam de verbis et de structuris Sacerdos eodem libro exposuit. Ceterum cum antecedant verba 'scire debemus quod iste casus apud Latinos simplicem habet sensum, apud Graecos duplicem. aliquando sic habet quasi inde creet; aliquando sic habet quasi non inde creet, sed auferat. hoc vero Graecum est' et sequantur verba 'quare hoc dico? plerique sunt Graeci satis et trahuntur ad illam linguam consuetudinis suae' cet., patet verba illa quae ad Sacerdotis librum alterum pertinent non suo loco legi. Iam si p. 172, 21 legimus: 'ceterum qui declinaverit hic Iuppiter huius Iovis, potest declinare et hic Apollo huius Phoebi et hic Hercules huius Amphitrioniadae et haec Minerva huius Palladis' (cf. 186, 12) quae prorsus consentiunt cum Sac. 8, 9 § 5 et 17, 8, non cum Keilio l. c. putabimus Pompeium ipsum haec non nominato auctore ex catholicis exscripsisse, sed Pompei auctorem haec exscripsisse statuemus. Ne ea quidem quae Sacerdotis nomine apposito p. 190, 24 adferuntur, quae et ex primo Sacerdotis libro (§ 2) et ex altero (p. 5, 18) peti potuerunt (cf. p. 160 adn. 37) ipse legendo Pompeius videtur invenisse.

Denique omnium maxime Sacerdotis libro altero est usus Priscianus. Atque satis saepe hunc fontem indicavit, nam Keilius praef. p. XVII duodeviginti Prisciani locos collegit qui vel certo vel satis probabiliter ad catholica pertinerent. De uno tantum loco dissentio, nam quae Prisc. I, 236, 11 H. legimus: 'et a puero composita Publipor Publiporis et Marcipor Marciporis — sic Probus, ita enim antiqui pro Publii puer et Marci puer dicebant — quae o non producunt in obliquis casibus' cet. non puto pertinere posse ad Sac. 16, 18 'legi unum novo

modo figuratum apud Sallustium, Publipor Publiporis, nam quasi proprium est', sed hoc quidem loco necessario de antiquiore fonte puto esse cogitandum, quod fortasse rectius esse Keilius ipse p. XXV dicit. Sed alium etiam locum quem Keilius illo loco non attulit ad Sacerdotis librum puto spectare: p. 499, 17 enim (cf. Keilius p. XVIII) legimus: 'sapio tam sapui vel sapii quam sapivi protulisse auctores inveniuntur; Probo tamen sapui placet dici, Charisio sapui vel sapivi' cet.; iam (Prob.) cath. 36, 11 quidem tantum legimus: 'p ante io posita tertiae correptae inveni ui facientia perfectam speciem, rapio rapui, vel ii, cupio cupivi vel cupii', sed Sacerdotis codex exhibet § 136 'pui facientia specie perfecta, rapio rapui, sapio sapui vel pivi, sapivi rapivi cupio cupivi'; quamquam autem concedendum est huius codicis scripturam hoc quoque loco esse interpolatam, tamen, cum post verba 'rapio rapui' facillime potuerint intercidere verba 'sapio sapui', etiam sapiendi verbum a Sacerdote puto esse commemoratum. Atque Sacerdotis codicem carere nonnullis lacunis quae in altero illo codice sunt iam supra (p. 155 sq.) vidimus. Similiter res se habet p. 503, 16 'nam unguo Nisus quidem et Papirianus et Probus tam ungui quam unxi dicunt facere praeteritum, Charisius vero unxi tantum', praeterquam quod ne Keilius quidem hunc locum dubitavit ad cath. 37, 15 (§ 148) referre; nam ut iam Spengelius (l. c. p. 493) vidit hoc quoque loco plenior et integrior est Sacerdotis codex qui exhibet 'arguo arguis argui et unguo unguis ungui, dicimus et ungo ungis unxi, nam ungeo non legi' quam alter codex in quo tantum legimus 'ut arguo arguis argui et unguo unguis unxi, nam ungeo non legi', quae verba non esse integra certo sunt argumento verba quae antecedunt 'gui faciens specie perfecta'. Reliqui loci qui ad Sacerdotis librum alterum referendi videntur hi sunt: I, 218, 22 qui locus eo est insignis quod ibi legimus 'Probus in libro qui est de catholicis nominum' cf. Sac. 28, 23 § 47; 162, 9 et 259, 17 cf. Sac. 20, 26; 238, 5 cf. Sac. 17, 18 [62]); 241, 9 et 242, 20 cf. Sac. 18, 16; 242, 1 cf. Sac.

62) Etiam Probus recentior tantum tertiae declinationis nomina ur litteris terminata novit cf. 128, 39 et 99, 23.

26, 15 § 30; 249, 19 cf. Sac. 19, 30; 250, 17 cf. Sac. 9, 11 § 11; 257, 10 cf. Sac. 30, 8 § 57; 319, 22 cf. Sac. 6, 11 et 28, 26 § 48; 321 1 cf. Sac. 20, 3; 469, 12 cf. Sac. 39, 26 § 178; 485, 19 cf. Sac. 34, 17 § 110 et 38, 21 § 167; 491, 14 cf. Sac. 38, 6 § 163; 535, 14 cf. Sac. 39, 19 § 176. Iam cum tam saepe Priscianus Probum ita nominaverit ut de Sacerdotis libro altero cogitaret, consentaneum est saepius etiam fonte non indicato eum hoc libro usum esse. Itaque catholicorum cum Prisciano consensus, ad quem animum attendit Keilius p. XXV sq.[63]), haud scio an ex hac re potius sit explicandus quam ex fontibus communibus. Sed si de fontibus communibus cogitamus, certe nihil est cur ultra Flavium Caprum ascendamus.

Iam ut ad eas Probi commemorationes transeam quae ad Probi recentioris scripta pertinent, ad differentiarum libellum p. 201, 15 referenda videri quae in codice Paris. 7491 f. 93 legimus: 'sed secundum Probum neutrum in nomine, neutrale in verbo rectius dicimus' (Keil. praef. p. XXIII) iam supra (p. 174 cf. p. 178 sq.) vidimus. Arte autem Priscianus, ut de hoc primum dicam, multo rarius usus est quam Sacerdotis libro altero. Quattuor enim tantum commemorationes ad artem referri possunt: I, 31, 2 cf. Prob. 150, 6; 213, 12 et 283, 7 cf. Prob. 105, 23; 301, 14 cf. Prob. 103, 18 cf. Keilius praef. p. XVII sq. — Quindecim locis a Pompeio Probus ita commemoratur ut appareat de Probi recentioris arte esse cogitandum. Tamen non magis hunc librum ipse videtur inspexisse quam Sacerdotis librum alterum: nam p. 138, 18 rebus quas Donatus nomini accidere statuerit Probum ait addidisse accentus — atque Prob. 51, 21 accentus commemorantur —, deinde statim addit 139, 3 sqq. Probum omisisse comparationem, quam non Probum, sed Diomedem omisisse supra (p. 181 sq.) vidimus, unde Pompeium neque Probum neque Diomedem inspexisse videtur apparere. Itaque non est mirum quod p. 152, 33 unum comparativom senior a Probo masculini solius generis esse putari Pompeius dicit, cum Prob. 61, 14, quamquam tantum senex nominatur, tres positivos

63) Permiro modo Keilius p. XXVI ineptum additamentum codicis Probi p. 34, 21 '*relevi dolia omnia* Terentius' (cf. supra p. 156) propter Prisc. 490, 7 et 529, 20 et Diom. 370, 6 Probo Berytio vindicavit.

masculini generis ex litteris terminatos legamus sui tantum generis comparativos facere (cf. v. 2); ceterum etiam Serv. in Don. p. 430, 36 unum senior memoratur. Atque eandem neclegentiam in multis reliquorum Pompei locorum deprehendimus qui sunt: 156, 1 et 27 cf. Prob. 73, 9 (Keil. p. XIX sq.); 169, 12 et 178, 14 cf. Prob. 53, 18 sqq. (Keil. p. XXI sq.); 173, 30 et 188, 38 et 189, 18 cf. Prob. 82, 16 et 84, 34 (Keil. p. XXI); 200, 11 sqq. cf. Prob. 131, 25 (Keil. p. XX); 211, 27 cf. Prob. 131, 28 sqq. (Keil. p. XXI); 225, 20 cf. Prob. 180, 4 (Keil. p. XX); 269, 10 cf. Prob. 144, 22; 280, 11 cf. Prob. 147, 4 (Keil. p. XX); denique 164, 33 de quo loco accuratius dicendum est. Legimus autem ibi: 'commune est, ut dicit Probus, tantum de duobus generibus, ut invenimus in auctoritate, ex tribus. Probus dicit debere dici de duobus generibus ut hic et haec advena, alii autem dicunt hic et haec et hoc advena' quae Keilius p. XXI contulit cum Prob. 52, 10 'commune genus est quod duobus generibus convenit tantum'; sed qui locum accuratius inspexerit, videbit verba 'commune' cet. arctissime cohaerere cum verbis 'omnia nomina nominativo singulari a terminata haec recipiunt genera', quamobrem illud 'est' delendum esse patet; respexit autem Pompeius Prob. 86, 33 sqq., ubi Probus demonstrare studet non esse nomina generis omnis ablativo a littera terminata. Adnotandum etiam est eam definitionem pronominis quam Donato tribuit Pompeius p. 200, 5 non esse Donati, sed Probi (131, 2) cf. Keilius ad h. l., sed quamquam inter verba 'ideo definivit' et 'pronomen est' facillime Probi nomen potuit intercidere, tamen quia Donati pronominis definitio p. 379, 23 (cf. 357, 2) 'pronomen est pars orationis quae pro nomine posita tantundem paene significat personamque interdum recipit' prorsus est similis Probi definitioni 'pronomen est pars orationis quae posita pro nomine minus quidem plene, idem tamen significat', Pompei ipsius quam librariorum neclegentiam accusare malo. — Restant etiam sex Servi in Donatum commentari loci: 413, 34 cf. Prob. 180, 4 (Keil. p. XX); 430, 36 cf. Prob. 61, 14 (Keil. p. XX, cf. quae de Pomp. 152, 33 dixi); 431, 19 cf. Prob. 73, 9 (Keil. p. XX); 434, 8 cf. Prob. 82, 16 et 84, 34 (Keil. p. XXI); 435, 25 cf. Prob. 131,

25 (Keil. p. XX); 436, 28 cf. Prob. 131, 28 sqq. (Keil. p. XXI); praeterea (Serg.) in Don. p. 495, 11 cf. Prob. 53, 18 sqq. (Keil. p. XXI), tum Cledon. p. 50, 14 cf. Prob. 131, 25 sqq. (Keil. p. XXI) et p. 76, 11 cf. Prob. 147, 4 (Keil. p. XX), deinde comm. ad Don. cod. Paris. 7570 f. 17 cf. Prob. 131, 25 (Keil. p. XX) et cod. Frisigensis 12 cf. Prob. 51, 3 (Keil. p. XX), denique Iulian. Tolet. p. 74 ed. Rom. p. 319, 22 K., qui non ex ipso Probo (p. 131, 25), sed ex Pompeio (p. 200, 11 sqq.) quae tradit videtur hausisse cf. Keil. p. XXII et tres loci artis cod. Bamberg. M. V. 18 f. 11 et 25 (cf. Keil. p. XXII et de gramm. quib. inf. aet. p. 10 sqq.): nam cum in his locis omnibus satis neclegenter adferantur Probi artigraphi praecepta, non esse puto cur quae in cod. Bamb. arte f. 25 legimus: 'et hoc sciendum quod Probus ordinem accidere praepositionibus dicit' non ad Probi recentioris artem referamus (cf. Keil. p. XXII), nimirum scriptor illius artis praepositiones et coniunctiones (Prob. 143, 25 et 144, 22 sqq. Pomp. 269, 8) videtur confudisse. Quod si statui non posset, eum ipsum vel auctorem aliquem eius Diomedem qui 409, 4 dicit 'praepositioni accidunt casus. sunt autem qui putant accidere praepositioni et figuram et ordinem' cet. neclegentius putarem inspexisse. — . Praeterea ad artis Vaticanae scriptorem potissimum pertinere puto hos locos in quibus Probus cum aliis grammaticis nominatur: Cassiodor. de gramm. p. 2321 P. cf. Keilius p. XXIV, Pomp. ap. commentatorem Donati incertum cod. Lavant. 24 f. 23 v. cf. anall. gramm. Vindob. p. 514 et Keilius p. XXIV et vol. V p. 326, 18 [64]), cod. Paris. 7560 s. XI f. 10 cf. Keilius p. XXIV et Herm. vol. I p. 331 sq. et de gramm. quibusd. inf. aet. p. 26, Prisc. II, 13, 14 et 142, 27 cf. Keilius p. XXIV adn.

Remotis igitur eis grammaticorum locis qui aut ad Diomedem aut ad Sacerdotem aut ad Probum recentiorem pertinent, e a s

64) In verbis 'alii inquit scripserunt artem, sed illos non putes intellegere, nisi a Donato sumpserint principium, ut est Probus et Caesar et alii, sed a Donato sumpserunt principium' Osannus symb. II p. 244 sq. post particulam 'sed' interponi voluit pronomen 'qui', sed ne tum quidem omnia plana erunt, ut verbis 'nisi a Donato sumpserint principium' male repetitis putem locum corruptum esse.

colligamus **Probi nominis commemorationes quas nihil videtur obstare quominus ad primum p. Chr. saeculum referamus.** Atque certius licet iudicare de eis locis ubi Probus vel Valerius Probus una cum Flavio Capro nominatur, quod invenimus Charis. 118, 1 ubi Valeri nomen additum est et Prisc. I, 171, 14. 393, 8. 490, 9. 513, 7. 534, 26 quibus locis tantum Probi nomen legimus: ceteri loci certe neque ad Sacerdotem neque ad Probum recentiorem neque ad Diomedem possunt referri. Sunt autem omnino commemorationes viginti duae, quae inveniuntur apud Charisium (tres), Diomedem (quinque), Servium (ad Aen. I, 194), Priscianum (tredecim); accedunt etiam tres Gelli loci (VI, 9, 11 sq. XIII, 21, 1—9 XV, 30, 3 sqq.). Iam primum quaeritur ad utrum Valerium Probum quattuor illorum grammaticorum testimonia videantur pertinere, nam Gelli locos omnes ad Valerium Probum minorem referendos esse supra vidimus. Atque equidem omnia illa testimonia ad Valerium Probum minorem puto spectare, nam cum libro de inaequalitate consuetudinis quem commemorat Charisius 212, 7. ex quo omnia fluxisse videri postea videbimus, nullo pacto conveniunt Suetoni de Berytio verba 'nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis edidit', de observationibus autem sermonis antiqui prorsus cogitari nequit, quia hae neque ut antiqui sermonis ad universum sermonem pertinebant neque ut observationes arte conclusae erant. Deinde quaeritur, utrum ipsorum lectioni an aliis auctoribus et quibus Charisius Diomedes Servius Priscianus illa quae de Valerio Probo minore tradunt debere videantur. Atque ego neminem ipsos Probi libros legisse existimo. Id de Charisio Servio Prisciano (cf. Keilius symb. p. 93 et gr. L. IV p. XVIII) omnino vix potest dubitari, Diomedem ipsis Probi Berytii libris grammaticis usum esse statuit Keilius gr. L. I p. LII sqq. et ll. cc. Qui inde profectus quod, ut recte statuit, consensus eorum quae de speciebus temporis praeteriti perfecti p. 364, 9 sqq. et de diversa verborum positione p. 381, 20 sqq. a Diomede disputarentur cum eis quae de eodem argumento Priscianus in expositione verbi traderet ex communibus fontibus esset repetendus, cum antiquiorem auctorem qui utrique ante oculos fuisset coniecit fuisse Probum Berytium, cuius

commentariis ipsis cum his locis tum aliis Diomedes, aliis et maxime quidem Flavio Capro intercedentibus Priscianus usus esset. Sed primum Flavius Caper non ita raro videtur dissensisse a Valerio Probo minore: Caper lacessi perfectum esse dixit, Probus lacessivi (Prisc. I, 534, 25); praeterea ex Charisi verbis p. 118, 1 'Fl. tamen Caper Allecto monoptoton esse Valerium Probum putare ait' patet aliter de illa re iudicasse Flavium Caprum, aliter Valerium Probum. Deinde mihi quidem iusto audacius esse videtur inde quod in initio eius partis quae est de speciebus temporis praeteriti perfecti Diomedes bis nominat Probum (364, 30 et 365, 9) et quod Priscianus in quibusdam praeceptis in quibus cum Diomede consentit Probi auctoritate usus est (I, 470, 12 Diom. 366, 3; 529, 6 Diom. 373, 23; 535, 20 Diom. 373, 3; 539, 1 Diom. 371, 15; 541, 18 Diom. 374, 1 [65])) totam hanc partem efficere Diomedem ex Probi libris petivisse eosque ita expressisse ut vix quidquam aliunde additum esse videatur (Keil. I p. LIII). Ex recentiorum autem grammaticorum testimoniis (cf. Keil. symb. p. 93), qui Probi nomine adscripto quae Diomedis sint adferunt, nihil potest effici. Atque etiam dubitari posse, utrum Diomedes ipsis Probi libris usus esset an aliis grammaticis qui illis ipsis essent usi, etiam Christius philol. XVIII p. 129 iudicavit. Itaque dum considero Diomedem eos potissimum solere silere quibus plurima debet cf. Christius l. c. p. 128 — velut numquam nominat Cominianum —, ego sic statuo, Diomedem non minus quam reliquos quae de Valerio Probo minore tradidit Flavio Capro debere atque Flavium Caprum communem illum Diomedis et Prisciani esse fontem. De aetate Flavi Capri non prorsus constat, tantum ante Iulium Romanum eum scripsisse certum est, qui sae-

65) Prisc. I, 469, 12 et 485, 19 nunc Keilius ipse IV p. XVII ad catholica pertinere existimat. idem cadit in 499, 17, si recte disputata sunt quae supra de hoc loco exposui (p. 186). Denique quae Prisc. p. 490, 8 Probo et Capro nixus tradit. satis discrepant a Diom. 375, 27. — Ne quis Priscianum locis illis et I, 445, 23 (cf. Diom. 336, 10) putet Probum pro Diomede nominasse, illud obstare videtur quod quinquies a Prisciano Diomedes commemoratur: I, 470, 13. 485, 20. 499, 19. 515, 16. 535, 12, quamquam mirum est quod nusquam solus Diomedes a Prisciano nominatus est.

pius eius auctoritate usus est; nam quod Dausquius orthogr. I, 162 dicit: 'Scaurus lib. IX de orthographia: *et raro Capri testimonio s apud Etruscos exprimitur et ex latinis locutionibus nonnumquam evanescit. Ennius: interea fugit albu' iubar Hyperioni' cursum*', haec putidum illum praestigiatorem ex Agroetio p. 2269 P. et Prisc. I, 170, 9 confinxisse valde probabiliter suspicatur Christius l. c. p. 166. Ceterum etiamsi verum esset Flavium Caprum scripsisse ante Q. Terentium Scaurum, quem Gellius XI, 15, 3 divi Hadriani temporibus grammaticum vel nobilissimum appellat, tamen videtur scribere potuisse post Valerium Probum minorem. Itaque Flavi Capri dubii sermonis et de Latinitate vel enucleati sermonis libris — de Capri libris cf. Christius l. c. p. 168 sq. — omnia deberi puto quae apud Charisium Diomedem Servium Priscianum de Valerio Probo minore traduntur; et Charisium quidem exploratum est ea quae de Probo tradit ne ex Capro quidem ipso petivisse, sed ex Iulio Romano, quem quominus ipsis Probi libris usum esse statuamus obstat Charis. 118, 1 'Fl. tamen Caper Allecto monoptoton esse Valerium Probum putare ait': nam si ita iudicavit Valerius Probus, necessario hanc sententiam proposuit etiam in libro vel libris de inaequalitate consuetudinis. Si autem Iulius Romanus non ipsis Valeri Probi minoris libris usus est, quomodo de Diomede hoc credi potest? Capri igitur libri, cum in rebus prorsus similibus versarentur, Valeri Probi minoris libros grammaticos prorsus videntur obscurasse. Iam priusquam singulos recenseam locos, etiam commemoro inde quod Charisius et Diomedes fere nihil addunt quo is Probus cuius sententias adferunt secerni possit a Probo artigrapho — neque enim ut Ausonius prof. 15, 12 et 20, 7 nobilissimorum grammaticorum exemplis utuntur — non certo posse colligi Charisium et Diomedem vixisse ante Probum recentiorem, quamquam ita fere statuit Christius l. c. p. 131. Primum enim talis diligentia non est eiusmodi grammaticorum quales sunt Charisius et Diomedes, deinde optime fieri potuit ut, cum Charisius et Diomedes artes suas componerent, in eas imperi partes in quibus versabantur Probi recentioris fama nondum pervenisset, denique ne id quidem certum est Probum recentiorem eos dignum habituros fuisse, cuius ita

rationem haberent. Itaque ex hac parte nihil videtur obstare coniecturae ab H. Usenero in mus. Rhen. vol. XXIII 1868 p. 492 sq. propositae, ex qua Hieron. ad a. 360 p. Chr. 'Enanthius eruditissimus grammaticorum Constantinopoli diem obit, in cuius locum ex Africa Charistus (ita Bern., 'Chrestus' ceteri codd.) adducitur' Charisi nomen reponendum est.

Titulos librorum grammaticorum Valeri Probi minoris si apud grammaticos circumspicimus, tres nobis videntur occurrere: Iulius Romanus apud Charis. p. 212. 7 Probum de inaequalitate consuetudinis quaesivisse tradit, an quis 'parcissime' extulisset, deinde Prisc. I, 171, 14 legimus: 'supra dictorum tamen nominum usus et apud Caprum et apud Probum de dubiis generibus invenies (sic pro 'invenis' scribendum videtur cf. 393, 10)', denique Priscianus I, 541, 19 Probum de dubio perfecto tractantem ostendere ait Naevium protulisse imperativom ai. Sed verisimile est de dubio perfecto et de dubiis generibus disputationes tantum partes fuisse librorum de inaequalitate consuetudinis, quod de disputatione de dubio perfecto iam ratio qua adfertur ('de dubio perfecto tractans') videtur indicare; verba autem 'de inaequalitate consuetudinis' quam late pateant nemo non videt. Itaque Valerium Probum minorem de inaequalitate consuetudinis libris, quos non ita paucos fuisse licet suspicari, non minus nomina et verba quam adverbia puto tractavisse. Iam Gell. XV, 30, 5 Valeri Probi 'commentationum' mentio fit. Ibi Gellius disputat de voce petorriti, quam nugatorem aliquem ait Graecam esse dixisse atque significare volucres rotas interpretatum esse commutataque una littera petorritum esse dictum voluisse quasi petorrotum, scriptum etiam hoc esse a Valerio Probo contendisse. Tum his pergit verbis: 'ego cum Probi multos admodum commentationum libros adquisierim, neque scriptum in his inveni nec usquam alioqui Probum scripsisse credo'. Atque de re ipsa in Gelli iudicio nobis est adquiescendum, commentationum autem vox propius mihi accedere videtur ad simplicem scriptorum notionem quam qua libros inscriptos esse existimare possimus, atque dum XIX, 14, 3 verbis: 'Nigidianae commentationes non proinde in volgus exeunt' Gellium considero nihil aliud signi-

ficasse quam 'Nigidiana opera' cet., in eam adducor sententiam ut eodem modo XV, 30, 5 commentationum vocabulo omnia quae Probus scripsit putem esse comprehensa. Atque ita demum probam nos existimo nacturos esse sententiam: in eis quidem libris Probianis quos ipse adquisiverit qui admodum multi sint Gellius negat se illam rem invenisse nec alibi usquam se putare ait Probum illud scripsisse. Itaque Gelli loco non minus de eis libris de quibus proximo capite disputavi quam de libris qui erant de inaequalitate consuetudinis cogitandum est. Ipse autem titulus horum librorum indicat Probum minorem non stetisse a partibus eorum qui in sermone analogiam regnare putaverunt, sed ei ut Quintiliano I, 6, 3 consuetudinem certissimam loquendi magistram visam esse. Atque ex eis quae de nominibus et de adverbiis Probus minor disputavit, pauca servata sunt, ex eis quae de verbis plura. De multorum nominum genere dubio Probum disputasse testatur Priscianus I, 171, 14, praeterea de genere nominum diminutivorum a primitivis recedente Probum quaesivisse constat ex Prisc. 115, 18, ubi, postquam multa huius generis exempla allata sunt, legimus: 'Probus etiam ponit hoc glandium haec glandula [pars est intestinorum], ensis ensiculus ensicula, praeterea haec beta malva, hic betaceus malvaceus'. Ad declinationem nominum spectant Charis. 118, 1: 'Fl. Caper Allecto monoptoton esse Valorium Probum putare ait' [66]), deinde Prisc. 236, 12 'excipiuntur corripientia o etiam in genetivo .... et a puero composita, Publipor Publiporis et Marcipor Marciporis — sic Probus, ita enim antiqui pro Publii puer et Marci puer dicebant —, quae o non producunt in obliquis casibus: *unus constitit in agro Lucano gnarus loci, nomine Publipor*, Sallustius in III historiarum hoc protulit'. Praeterea huc sunt referenda quae Gellius XIII, 21, 1—9 ex familiari Valeri Probi se ait comperisse, quae pertinent ad formas urbes et urbis, turrem et turrim, quas res utique ne in libris quidem suis Probus praetermisit. Docet autem illo Gelli loco Probus in quibusdam rebus auribus esse obsequendum, quod et ipsum documento est, quanto opere abhorruerit Valerius Probus

66) Cf. cum hac sententia Sac. cath. p. 9, 33 § 13. 10, 16 § 17. (11, 7).

minor a ratione eorum qui ubique sermonem certis legibus adstringere studebant. Ceterum, ut iam Kretzschmerus p. 92 dubitanter suspicatus est, etiam ea quae secuntur, cum in rebus simillimis versentur, Gellius Probo videtur debere atque, cum quae § 1—9 tradit fortasse re vera e familiari Probi audiverit, ea quae § 10 sqq. ipse addit ex ipsius Probi libris videtur hausisse; disputatur autem ibi de duplici forma tres et tris, de duplici genere vocum finis, cupressus, aer, de duplicibus formis fretus et fretum, peccatus et peccatum, tributus et tributum, de duplici genere vocis funis, denique de duplici feminino antistes et antistita, quae omnia optime ei parti librorum de inaequalitate consuetudinis quae erat de nominibus convenire patet [67]. — Ad adverbia tantum duo Charisi vel potius Iuli Romani loci pertinent: 212, 7 'parcissime: Probus de inaequalitate consuetudinis quaerit, an quis hoc extulerit, quod et ipsum credo non parcissime factum', unde apparere videtur Valerium Probum in his libris etiam id egisse, ut ostenderet quaenam formae in usu non invenirentur; praeterea 198, 12 legimus: 'efflictim Naevius in Corollaria: *nolo ego hanc adeo efflictim amare, diu vivat volo, ut mihi prodesse possit*; ubi Probus *usque donicum effligatur*', ex quo loco Suringarus effecit in Naevi fabulas Valerium Probum commentarios composuisse, sed particulam 'ubi'

67) Kretzschmerus contulit etiam Noni caput tertium, quod est de indiscretis generibus per litteras, magnam partem Probi Berytii observationum a Nonio in farraginem suam translatam esse suspicatus (p. 90). Similiter indicavit Hertzius in commentatione de A. Gellio et Nonio Marcello, quae inserta est Fleckeiseni annall. phill. 1862 p. 705 sqq. et 779 sqq.; in eis quae de dubiis nominum generibus disputasset non Probum Berytium, sed Caprum illius copiis usum Noni auctorem esse statuit Keilius gr. L. V p. 570; utrum ipse Nonius, in cuius opere constaret multis locis latere Probi Berytii doctrinam, an eius auctores Probi Berytii vestigia pressissent, dubium esse censuit P. Schmidtius de Noni auctt. gramm. p. 148 sqq. cf. 62 sqq. Mihi cum hoc constare videtur certe non ipsis Probi Berytii observationibus Nonium usum esse, sed si ex Probi Berytii doctrina quaedam ad Nonium pervenerunt, haec per alios ad eum pervenisse, tum hoc, cum Valeri Probi minoris de inaequalitate consuetudinis libris non sit usus Iulius Romanus, nullo modo Nonium eis libris usum esse putari posse; Capri libris Nonium usum esse valde mihi videtur esse verisimile; de commentariis Valeri Probi minoris nihil neque adfirmare neque negare audeo.

satis saepe apud Charisium nihil aliud valere nisi 'quod exemplum adferens' vel 'quo de loco disputans' Ritschelius docuit Par. p. 361 sqq.

Longe plura, ut iam dixi, ex ea parte servata sunt quae erat de verbis. Atque ad genera verborum pertinent quae legimus Prisc. I, 393, 8, ubi de eis verbis agitur quae apud vetustissimos vel activam pro passiva vel passivam pro activa habeant terminationem: 'amplecto quoque pro amplector et complecto pro complector, sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam Plinium et Probum invenies'. Praeterea ad hanc Valeri Probi minoris librorum grammaticorum partem rettulerim quae Servius ad Aen. I, 194 de Probo tradidit: 'partitur] Sallustius ait *provincias inter se partiverant*: nam et partio et partior dicimus, et est verbum de his quae, cum utramque recipiant declinationem, pro nostra tamen voluntate activae sunt significationis, ut punio punior, fabrico fabricor, lavo lavor, quamquam tentaverit Probus facere differentiam inter activam passivamque significationem, ut dicamus tondeo alterum, tondeor ab altero; sed hoc in aliis verbis dicere non possumus ut fabrico fabricor, pasco pascor, nam legimus *florem depasta salicti* (ecl. I, 54) et *pascuntur vero dumos* (georg. III, 314). sunt autem alia verba quae activae significationis declinationisque sunt ut caedo; sunt quae passivae ut caedor' cet., nam Sacerdotem cath. p. 36, 25 § 140 ('partio partivi; sic Cicero *partiverant*, dicimus et partior sub eodem intellectu activitatis vel verbi communis partior' cet.) cum Servio, non cum Probo patet consentire cf. Kretzschmerus p. 89 et Keilius gr. L. IV p. XIX; quatenus autem in eiusmodi verbis Probus activarum et passivarum formarum significationem voluerit secerni, vix dici potest, nam de omnibus eiusmodi verbis Probum ita iudicasse, quamquam ex Servi verbis hoc possit aliquis efficere, equidem mihi persuadere non possum. — Ceterum fortasse ex eadem disputatione petita sunt quae Gellius XVIII, 12, auctore non indicato exposuit de more qui veteribus fuisset verba patiendi mutare ac vertere in agendi modum et verba patiendi pro agentibus usurpare, quod Gelli caput probabiliter Probo vindicavit Kretzschmerus p. 88 sqq. Quamquam quod ad hanc coniecturam stabiliendam contulit

Noni caput septimum, quod est de contrariis generibus verborum, in quo nonnulla verba quae Gellius commemorat et omnia fere quae Servius adfert recurrunt, ei rei mihi videtur iusto plus tribuisse: nam cum longe copiosiorem disputationem Nonius habeat, cum eandem rem tractet, ex quocunque fonte hausit, fieri non potuit quin magnam partem eorum verborum commemoraret quae leguntur apud Gellium et Servium [68]. — Etiam quae Gell. XV, 13, 1—8 de re ei quae tractatur XVIII, 12 finitima disputantur fortasse ex Valerio Probo minore hausta sunt. Exponitur enim ibi de verbis communibus. Atque totum caput Probo deberi suspicatus est Kretzschmerus p. 86. Sed utique ea quae §§ 10 et 11 exponuntur, ubi iterum testor commune verbum videri demonstratur quod iam § 7 demonstratum est, mihi ex alio fonte Gellius videtur postea addidisse, atque eodem modo haud scio an iudicandum sit de § 9, ubi a Cicerone quoque 'veritum est' non personaliter per infinitum modum dictum esse ostenditur, quamquam fortasse Gellius et auctor eius 'veritum est' ita passiva vi (cf. § 3) dici putaverunt. Praeterea neque apte Prisciani locum quem supra attuli Kretzschmerum contulisse puto, cum ibi de prorsus alio verborum genere agatur, neque inde quod complura verba [69]) quae apud Gellium leguntur etiam Priscianus I, 378, 18 sqq. commemorat, multum puto posse effici. — Iam vero valde dubito, num recte Kretzschmerus p. 88 Valerio Probo tribuerit quae Gellius XV, 14 de structura 'exigor pecuniam' Graeca figura dicta disputat. Priscianus quidem, ubi de verbis passivis disserit, bis (375, 1 et 391, 20) de passivis loquitur quae figurate accusativo coniunguntur, sed vix hanc quaestionem syntacticam Probum etiam tractavisse putaverim. Quod autem in capite 13, ubi de verbis communibus agitur, Gellius disputat de impersonali structura formae 'veritum est', ex ea re secundum ea quae supra dixi vix quidquam effici potest. Ex sola autem vicinitate — etiam c. 15

68) Cf. P. Schmidtius de Noni auctt. gramm. p. 62 sqq.

69) Kretzschmerus p. 86 etiam in his verbis adferendis confudit verba communia et verba quae apud vetustissimos activam pro passiva vel passivam pro activa habent terminationem.

a Kretzschmero recte ad Probum referri postea videbimus — cavendum est ne iusto plus colligamus.

Iam ut ad verborum per tempora ac modos declinationem transeam, non ita pauca de Valerio Probo minore tradita sunt quae ad tempus praeteritum perfectum pertinent, pauca quae ad supinum. Atque illa omnia referenda videntur ad eam partem librorum de inaequalitate consuetudinis quae erat de dubio perfecto. In universum autem valet quod Priscianus I, 445, 22 tradit Probum tempus praeteritum perfectum Latinos pro παρακειμένου id est paullo ante perfecto et pro ἀορίστου habere statuisse. Deinde ad singulas formas haec pertinent: Prisc. I, 470, 12, ubi de verbis primae coniugationis in ui divisas praeteritum facientibus agitur: 'supra dictis addunt quidam neco necavi vel necui, sicut et Probus et Charisius et Diomedes, ideo quod participium praeteriti passivum et necatus a necavi et nectus a necui facit. Horatius in I epistularum *spem mentita seges, bos est enectus arando.* Livius ab urbe condita XXI *fame frigore illuvie squalore enecti.* Cicero Tusculanarum I *enectus siti Tantalus.* sed proprie necatus ferro, nectus vero alia vi peremptus dicitur. Ennius *hos pestis necuit, pars occidit illa duellis*'; 529, 3 'a canendo quoque composita similiter praeteritum in ui divisas finiunt: succino succinni, occino occinni. quidam autem et occano occanui protulerunt, ut Sallustius in I historiarum: *iussu Metelli cornicines occanuere.* sed Probus occini quoque existimat posse dici, cum simplex cano cecini faciat, quomodo a cado cecidi incido incidi et a tango tetigi contingo contigi'; 534, 25 'lacesso lacessivi: sic Probus et videtur mihi melius dicere, participium enim passivum lacessitus, Caper tamen lacessi dicit esse ut facessi' cet.; 535, 20 'pinso pinsui facit praeteritum, quod Probus usu Pomponii comprobat: *neque malis molui neque palatis pinsui*'; 538, 30 'sin autem n non habuerint (in cio desinentia), cio in si mutata faciunt praeteritum, ut sarcio sarsi, farcio farsi, raucio rausi, fulcio fulsi, quod et Probo placet, quamvis alii differentiae causa fulxi posuerunt'. Aliarum quoque verbi formarum in hac de dubio perfecto disputatione Probum rationem habuisse apparet ex Prisc. I, 541, 18: 'aio, cuius declinatio in usu frequenti non est, quartae coniugationis esse ostenditur ab imperativo in i

terminante. sic enim Probus de dubio perfecto tractans ostendit Naevium protulisse: *an nata est sponsa praegnas? vel ai vel nega.* Accius in Ioue *quibusnam te aibant ortum locis* pro aiebant, quod in hac coniugatione fieri solet' (cf. Don. ad Andr. V, 3, 4). Etiam alius generis adnotationes Probum addidisse e duobus Diomedis locis patet: 364, 28 'manduco manducavi, id est edo; proprie autem est quod Graeci dicunt μασσῶμαι, hoc est identidem mando, ideoque Probus negat recte dici piscem vel aliud tenerum quid manduco, sed potius edo, quod significat ἐσθίω. manducatur autem quod dentibus reluctatur. nam cum dicam edo, quid faciam ostendo, cum vero manduco, non tantum quid faciam ostendo, sed et qualiter faciam. veteres tamen et in edendi significatione manduco dixero' et 365, 9 'praefoco praefocavi Probus quasi novam vocem miratur. angit enim veteres dicebant ut Vergilius *et angit inhaerens.* Lucilius tamen ait *et suffocare lacunas conatur*'. Quaesivit igitur Probus, si res tulit, etiam de significatione atque usu verborum de quibus disputabat, ut de adverbiorum usu supra vidimus eum quaesivisse. Ad hos grammaticorum locos accedit etiam Gelli caput VI, 9. Huius capitis §§ 1—15 Gellius exponit veteres, cum perfectis reduplicatis uterentur, non vocalem verbi ipsius repetivisse, sed ubique Graecorum more e littera esse usos. Quod cum multis veterum scriptorum exemplis adlatis de satis multis verbis (peposci memordi pepugi aliis) demonstret, de duobus Probi utitur auctoritate § 11 sq.: 'Aelium quoque Tuberonem libro ad C. Oppium scripto *occecurrit* dixisse Probus adnotavit et haec eius verba apposuit: *si generalis species occecurrerit.* idem Probus Valerium Antiatem libro historiarum XXII *speponderant* scripsisse annotavit verbaque eius haec posuit: *Tiberius Gracchus qui quaestor C. Mancino in Hispania fuerat et ceteri qui pacem speponderant*'. Sed prorsus nequit dubitari quin recte Kretzschmerus p. 84 sq. (cf. Mercklinus annall. phill. suppl. III p. 652) totam hanc doctam disputationem Gellium ex Probi de perfecto commentatione petivisse statuerit. Atque ex §§ 13 et 14 apparet Probum ad inlustrandam rationem sermonis Latini etiam Graecam rationem comparavisse. — Extremo capite inde a § 15 Gellius de similibus perfectis disputat, nimirum de formis scicidi et descendidi, quas apud veteres se ait invenisse,

quae eidem auctori eum debere consentaneum est, quamquam ei rei rursus non multum tribuerim, quod duo exempla formae sci-cidi quae adfert Gellius etiam Prisc. I p. 517 leguntur. Itaque totum hoc caput cum Kretzschmero Probo puto esse tribuendum.

Tribus locis Diomedes tradit eas verbi formas quas ipse participialia vel modum participialem nominat i. e. gerundium et supina a Probo supina esse appellata: 342, 8. 352, 34. 354, 17, videtur igitur Probus hoc vocabulum invenisse[70]). Praeterea ad supina pertinent Prisc. I, 490, 8 'a deleo, cuius simplex in usu non est, deletum, a delino delitum nascitur, quod Probus et Caper comprobant usu quoque adiuvante: Vergilius in IV georgicon *et paribus lita corpora guttis*. Cicero epistularum ad Calvum primo: *tuli moleste, quod litterae delitae mihi a te redditae sunt.* idem in IV Verrinarum: *tabulae sunt in medio, quae se corruptas atque interlitas esse clamant.* Accius in Atreo *epularum fictor, scelerum fratris delitor*' et 513, 7 'nanciscor etiam nactum facit absque n, ut Probo et Capro et Pollioni et Plinio placet'. Denique huc referendum est Gelli libri XV caput 15, cum etiam ea quae hoc capite de supino verbi pandendi disputantur Valerio Probo Gellium debere probabiliter Kretzschmerus p. 86 sq. statuerit collatis eis quae de varia vi formae passum legimus Diom. 377, 21 Prisc. I, 519, 22 Non. p. 370 M. (duobus locis). Quae omnia ab eadem origine videntur esse repetenda. Quamquam unus Gellius putandus est ipso fonte usus esse. Atque Priscianus eo discrepat a reliquis, quod formam passum non modo verborum pandendi et patiendi, verum etiam verbi patendi supinum esse statuit cf. etiam p. 483, 23. 485, 11. 512, 16. 565, 28. 573, 21, quamquam fortasse etiam alteram Noni adnotationem, in qua saepius patendi verbum explicandi causa appositum est, ad hanc rationem referre satius est. —

Tres igitur cognovimus Probos grammaticos: M. Valerium Probum Berytium, Valerium Probum minorem, Probum artigraphum. Hi quamvis inferiore aetate confusi sint, tamen nominis Probi fama etiam medio aevo quod vocatur permansit. Quod

70) Probus recentior has formas gerundi appellat.

duobus testimoniis etiam inlustrabo. Eugenius Toletanus in praefatione ad Draconti hexaemeron ab ipso emendatum dicit: 'Quod si Virgilius et vatum summus Homerus Censuram meruere novam post fata subire, Quam dat Aristarchus Tucca Variusque Probusque, Cur dedignetur quod iussus principe magno Parvula praeparvi Draconti carmina libri Parvulus Eugenius nugarum mole piavi?' (cf. Graefenhanius hist. philol. IV p. 378 et L. Muellerus in Fleckeiseni ann. phill. vol. 93 1866 p. 390 sq.) atque in libri de disciplina scholarium, qui Boethianis libris adiungi solet, c. 1 p. 1277 ed. Bas. a. 1570 Probus et Didymus dicuntur 'venerabili auctoritate commendari' (cf. Graefenhanius l. c. p. 81 adn.). Ceterum praeter tres grammaticos de quibus dixi alios etiam Probos doctrinae laudo floruisse intellegitur ex Sidoni epp. IV, 1. carm. 9, 333 sqq. 24, 91 sqq. (cf. Sirmondus ad epp. IV, 1), ex Ennodi epp. VII, 27. VIII, 21. paraen. p. 446 Sirm. (cf. O. Iahnius proll. Pers. p. CLVIII adn.), denique e Lupi abbatis Ferrariensis ep. 20 extr. et ep. 34 extr. (cf. O. Iahnius l. c.). Praeterea Probus grammaticus Latinus commemorari videtur C. I. L. II, 2892.

Index

Probi, Valeri Probi, Valeri nominum commemorationum, de quibus disputatum est.

———

Formis Fr Frommanni Ienensis.